Digitized by Google

Digitized by Google

10 · 4 · 176

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FERDINANDI MINGARELLI

S. Th. L. Camald. & S. Ind. Cong. Conſ.

EPISTOLA

QVA

CL. CELOTTI EMENDATIO ℣. XVI. MATTH. Cap. I.

REIICIENDA OSTENDITVR

EDITIO SECVNDA

AVCTA

ADNOTATIONIBVS

ET

ΑΝΤΙΡΡΗΣΕΙ



Ex corneola Auctoris

ROMAE MDCCLXIV

EX TYPOGRAPHIA HERMATHENAEA

PRAESIDVM FACVLTATE

Digitized by Google

ut illud veriſſimum comprobarit , quod apud Graecos canitur : imperitia confidentiam ; eruditio timorem creat .

Hieron. Ep. 126. ad Evagr.

Digitized by Google

LECTOR CANDIDE

E*Dideram, quam hic iterum habebis Epiſtolam, T. x. Novae Collectionis Calogerianae, ut lectionem Matthaei* cap. 1. v. 16. *apud Chriſtianos omnes perpetuo vulgatam, quam in* Catena SS. Evangeliorum *ſollicitare, atque e poſſeſſione ſua exturbare conatus fuerat Cl.Celottus vindicarem. Sperabam autem Virum Cl. quem ob intellectum paralogiſmis praeoccupatum, non ob immoderatum ingenium id feciſſe arbitrabar, momentis, quae eidem ante oculos ponebam, exacte perpenſis, agniturum tandem delendam ſibi fore eam Sacri Textus emendationem, quae eidem in mentem venerat, quamque inconſiderate vulgaverat. Sed Vir Cl. quamvis multo antea Amici litteris, a me autem iſta, quam ſubjicio, edita Epiſtola graviſſimi erroris admonitus; maluit tamen juſtiſſimis expoſtulationibus inania verba adhibere, aliaque vel ipſa Theologorum caſtigationibus digna addere; quam a praeconceptis paralogiſmis diſcedere. Aliqua ſcilicet hac de re ediderat Vir Cl. Venetiis an.* 1757. *apud Marſinium,* Nuove Mem.per ſervire all'Iſtoria Lett.T.2. *Menſ. Oct.Nov.Dec.: nuper vero typis Baſſaneſii* ibid.*edidit* Sermonem de Laudibus BB.V.& Matris Mariae ab utraque origine tum animae tum corporis. *Hiſce porro in locis ſuam Matthaei emendationem inanibus tueri verbis conatus eſt; detortis etiam violenter SS. Patrum verbis: neque veritus eſt hujus generis tractationem inſcribere* de Laudibus BB.V. & Matris

Digitized by Google

Mariae. *Cogor itaque hac de re, quam confectam judicaſſem, iterum ſcribere, quod equidem lubentiſſime facio; cum Orthodoxi Theologi dignior eſſe nequeat labor, quam Sacrorum Bibliorum & textum, & ſenſum vindicare. En igitur quod nunc pro virili facere conabor. Ut porro, quod mihi propoſitum eſt, facilius aſſequar, peropportuna mihi viſa eſt altera Epiſtolae jamdiu a me vulgatae editio, breviſſimis aucta Adnotationibus, quae aut declarent inania Viri Cl. verba graviſſimis elevandis momentis paria eſse numquam poſse; aut patefaciant quanta vis iis inſit, quae ſe non percepiſſe idem faſſus eſt: ita enim & clarius res agetur & brevius. Ceteris autem refutandis* Ἀντίῤῥησις *eſt addita Epiſtolae. Faxit D.O.M. ut Vir Cl. mente Chriſtiana luce perfuſa haec percurrat: tunc enim non modo non offendetur acerbioribus quibuſdam a Sanctis Patribus deſumptis; ſed immo acrioribus adhuc cenſuris emendationem ſuam religioſe notare non verebitur, priorque fatebitur eorum nihil praetermittendum aut diſſimulandum fuiſſe a me, qui ſcribere aggreſſus eſſem contra injuſtam emendationem Sacri Textus a Celotto propoſitam & injuſtius vindicatam, non contra Celottum; hoc enim ſi facere voluiſſem, neque initio praetermiſiſsem, quae ipſi in Catena exciderant, mea abs re aliena, neque nunc praetermitterem, quae in ejuſdem Sermone erudita reprehenſione digna videri poſsunt. Vehementer equidem opto, ut Viro Cl. perſuadeatur demum, & ab ea opinione nunc abhorreat, qua antea delectabatur, cumque Eccleſia Catholica Matthaei & verba & ſenſum jam amplectatur.* Verum *niſi id contigerit, volueritque ipſe aliis adhuc verbis emendationem ſuam urgere, ego tamen praeter haec nihil editurus ſum, niſi quid adhuc ei exciderit Theologica cenſura dignum. Vale.*

Dabam Romae in Divi Gregorii ad Clivum Scauri X. *Kal. Octobris* CIↃIↃCCLXIV.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. EMMANVELI DE RODA

PATRICIO CAESARAVGVSTANO

CAROLI BORBONI

CATHOLICI HISPAN. REGIS CONSILIARIO

ET APVD

CLEMENTEM XIII. P. M.

ADMINISTRO

FERDINANDVS MINGARELLIVS

ΑΓΑΘΗΝ ΤΥΧΗΝ

C*VM tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus,*

. . . .

. . . . . . *in publica commoda peccem,*

Si longo ſermone morer tua tempora.

Breviſſime igitur ad Te ſcribam, VIR EXCELLENTISSIME. Et quamquam tantae res, quibus gerendis ob egregiam Tuam dexteritatem, atque ſapientiam adlectus es, non Te prohibeant, quin ſummae eruditioni Tuae acceſſio quotidie fiat; intemperantius tamen & otio & litteris Tuis abuterer, ſi longiori Te, rudiorique Epiſtola detinerem. Ad Te porro

Digitized by Google

ſcribendi argumentum praebuit Nicolaus Peregrinus Celottus, Vir Cl. cujus *Catenam Sacram SS. Euangeliorum*, ut perlegerem, quatuor abhinc menſibus a Te acceperam. Is enim (*Caten. L.* 1. *c.* 4. *Not. ad Matth. c.* 1. *v.* 16.) ubi Catholica Eccleſia legit: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*, ita ſcribit: *Vera lectio eſt hujus loci*: „ Iacob autem genuit Ioſephi conjugem Mariam, de qua natus „ eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus “. Emendationem hanc nonniſi omnibus violatis juribus lectioni perpetuo in Eccleſia receptae ſubſtitui poſſe, ſtatim animadverti: ac propterea ne Eccleſiae Catholicae hoſtes occaſionem hinc arripere queant vel exprobrandi Catholicis Doctoribus nimiam Sacrarum Linguarum imperitiam, vel ſacra Biblia emendandi licentiam, qua & Catholici Viri, cum libido ſtimulat, utantur; aut ne cuipiam Catholico homini, qui Hebraicas Litteras ne a limine quidem ſalutaverit (hoc enim ad paralogiſmum dignoſcendum ſufficeret) dubitatio aliqua ſuboriri unquam valeat, an hujuſmodi emendatio vero ſimilis eſſe poſſit, ejuſdem idcirco fundamenta prorſus convellenda eſſe judicavi. Atque hoc meum conſilium vel ipſum Cl. Celottum aequi bonique facturum confido: non enim alio ſuis ipſe laboribus ſpectaſſe videtur, quam ut Euangelii puritas, atque ſimplicitas illaeſa & incorrupta ad omnes facilius dimanet, ac fluat. Confido

Digitized by Google

etiam rudem hanc meam Epiſtolam Te humaniter excepturum, VIR EXCELLENTISSIME, cum graviſſima inter Aulae negotia Sacrarum quoque Rerum ſtudia colere non intermittas; cumque ob humanitatem Tuam plane ſingularem Te omnes jure obſervent vehementer, ac diligant.

Vt autem ad rem propoſitam propius accedam, duplicem praeſtatuam legem, cui omnino parere oporteat quemcumque de emendatione Sacrorum Textuum cogitantem. Statuam ergo in primis ad ejuſmodi emendationem opus eſſe, ut evidens adſit emendationis neceſſitas. Deinde cum evidenter de emendationis neceſſitate conſtiterit, ut in hoc emendationis genere dici queat: *Vera lectio eſt hujus loci*; ſtatuam opus eſſe, ut plane ſit evidens, quae proponitur emendatio. Duo haec principia ingredi debere Sacrorum Codicum emendatrices leges, arbitror negaturum neminem, qui Sacris Bibliis Dei verbum contineri fateatur. Divum porro Matthaeum c. 1. v. 16. nullam habere emendationis neceſſitatem; ſiquam autem pati poſſet, Cl. Celotti emendationem non modo evidentem non eſſe, quin immo evidenter falſam eſſe judicandam, duo haec ita paucis demonſtro.

Itaque Matthaei locum antea dictum nulla indigere emendatione, demonſtrant multiplices Sanctorum Patrum, atque Interpretum opiniones, quae textum eumdem, *prout in Eccleſia Catholica legi*

conſuevit (*Triden. ſeſs.* 4.) componunt cum iis, quibus D. Lucas (*cap.* 3.) Ieſu Chriſti genealogiam deſcripſit, & Matthaei textui contraria videri poſſunt. Quod ſi harum opinionum nulla certa eſt; nulla tamen intrinſece repugnat: immo alia cenſetur alia veroſimilior. Ex quo colligit quiſque nullam adeſſe evidentem neceſſitatem, ut S. Matthaei Evangelium ibi emendetur.

Hoc breviſſime demonſtrato, paullo fuſiori oratione alterum nunc oſtendam, quod haud aegre me facturum ſpero. *Potuit*, inquit Cl. Celottus (Catenae loc. cit.) *facere Graeco Interpreti S. Matthaei, quicumque ille fuit, difficultatem una* ה he *litterula hebraica interveniens in textum. Haec poſt nomen poſita mutat genus de maſculino in femininum. Eadem ante nomina poſita ſtat quaſi pro arthro, ſive articulo. Intervenerit* (1) *haec inter il-*

(1) Animadvertendum hic eſt, quibus gradibus procedat Cl. Celotti emendatio in *Catena* propoſita. *Sicut*, ait . . . *irrepſit plane vitio Interpretis error, ut Ioachin, & Ioacim confunderentur . . . ſic neceſſe eſt affirmare, nunc quoque in praeſenti aliquid ſimiliter factum* (Vid. infra num. V.). En primus emendationis gradus. Pergit. *Potuit facere Graeco Interpreti S. Matthaei difficultatem una* ה he *litterula hebraica*. Viden' gradum alterum? Tandem: *intervenerit haec inter illud nomen quod Interpres vertit* Virum & Mariam. Igitur ex male redditis ab Interprete ſyllabis CIM & CHIN nominum *Ioacim* & *Ioachin* tranſeundum NECESSARIO eſt ad POTVIT; indeque ad hypotheſim τῦ INTERVENERIT; tumque intelligetur ſtatim evidentem adeſſe emen-

lud nomen, quod Interpres vertit Virum, *&* Mariam. *Porro vocabula in Hebraicis non ſatis ſeparantur alterum ab altero, ut qui fuerit rudis illarum litterarum, in facili habeat cognoſcere illarum diſtinctionem. Interpres non cavit,* He *littera inter* Conjugem *poſita, &* Mariam, *quo referri deberet. Hinc orta difficultas ad hanc diem perpetua, & maxima; verumque morata eſt otioſi articuli otioſiſſima opinio*. Cl. Trombellius [*Mariae SS. Vit. Par.* 1. *Diſſert.* 6. *c.* 4. *n.* 2.] bis fatetur Graeco Interpreti difficultatem hoc revera facere potuiſſe, licet eamdem Cl. Viri emendationem rejecturus. At numquam profecto iſtud ego dederim: immo fundamentum hujuſmodi prorſus disjiciendum exiſtimo; quod ita haud aegre fieri, perſuaſum mihi eſt.

I. Itaque Hebraica lingua *Vir* dicitur איש *ish*; *Mulier autem* אשה *ishàh*, ſcilicet maſculinae vocis media littera eſt *jod*, quae in feminina voce abjicitur, adjecta in fine littera ה *he*. Quamvis ergo Matthaei Graecus Interpres reperire potuerit Codidicis Hebraici verba nullo diſtincta intervallo, veluti אישהמרים *ishahmirjàm*, numquam tamen ſumere potuit *ish hammirjàm* pro *ishàh mirjàm*. Quis enim fingere ſibi queat Graecum Interpretem, qui

---

dationis neceſſitatem *Matth. cap.* 1. *verſ.* 16. emendationemque Cl. Celotti evidentem plane eſſe, juxta leges ſeu ἀξιώματα a me praeſtituta.

Matthaei Evangelium ex Hebraica Lingua in Graecam transferre optime novit, ita ſimul rudem fuiſſe, ut non noviſſet advertere, an inter א *aleph* & ש *shin* interjecta eſſet, an non littera *jod*? Quare ſi tranſtulit: *Ioſeph Virum Mariae*; non autem *Ioſephi conjugem Mariam*, dicendum plane eſt Hebraico in Textu ſcriptum fuiſſe איש non אשה. Et quamquam in nonnullis Sacrorum Bibliorum hebraicis exemplaribus Levit. 21. 8. & Deuter. 28. 30. ſcriptum aliquando fuerit אישה *ishàh* interpoſita *jod*; id tamen amanuenſium indiligentia accidiſſe ex eo demonſtrat Mercerus, quod id neque a Maſſoretis, neque a Kimchi adnotatum eſt, qui, cum ne minuta quidem neglexerint, id non praetermiſiſſent, ſi reapſe littera *jod* ex veteri traditione iis in locis interjicienda fuiſſet (2). Atque haec animadvertenda in primis putavi ſupponendo Hebraicum Matthaei Codicem, quo Graecus ejus Interpres uſus eſt, punctis vocalibus caruiſſe. At ſiquis, prolata

(2) Hoc momento omne cauſſae meae pondus contineri nunquam putavi. Illud tamen non praetermiſi, ut adverteretur hac etiam licentia indigere Cl. Celottum; qui ſane lubentiſſime complexus eſt duo haec loca, in quibus ab amanuenſibus erratum eſſe, commemoravi. Inquit enim ipſe *Sermonis pag. 67. Satis ad rem praeſentem ab eo, qui me arguit, praeſtari qualiacumque exempla, quibus ipſe defendar*. Igitur πῶς *chin*, *cim*, *potuit*, *intervenerit* praecedentis Adnotationis iſta quoque addenda licentia.

ndum de lite ſententia, ſupponere velit Hebrai-
m Matthaei Codicem vocalia puncta (3) habuiſſe,

---

(3) Attingendum duxi leviſſime vel hoc argumentum ductum notis, quas vocum elementis Hebraei apponere potuerint, itthaei etiam temporibus, ad pronuntiationem, notionemque :um determinandam, ut, ſi cui de punctorum vocalium, aut aorum ἰσοδυνάμων vetuſtate perſuaſum fuerit, iſto etiam mo- nto ipſe moveri poſſit. Hoc argumenti genus, quodcumque dem fuerit, prorſus ſuſtuliſſe ſibi viſus eſt Cl. Celottus *monis pag*. 68. productis tantum notiſſimis Divi Hieronymi ɔis *Ep*. 126. ad Evagrium, ſcilicet: *nec refert utrum Sa- an Salim nominetur, cum vocalibus in medio litteris per- utantur Hebraei; & pro voluntate lectorum atque varie- regionum eadem verba diverſis ſonis, atque accentibus pro- ntur*. Graviſſima quidem ſunt haec Hieronymi verba; ſed ea tamen, quibus lis de antiquitate aut novitate notarum vocalium apud Hebraeos, quae plurima ſummorum hominum ingenia exercuit, finiri plane non queat. Neque vero antea dictae antiquitatis cauſſam ita deſperatam cenſeo, ut quidam ejus hoſtes ſcriptitarunt; ac propterea illud argumentum breviſſime attigi. De alterutra mihi quidem opinione plane perſuaſum eſse nunquam potuit: dumque notarum vocalium novitas mihi ſeſe vero ſimiliorem exhibebat illud ab aſſenſu me retrahebat, in hujuſce generis quaeſtionibus, haud ſemel contigiſſe quodpiam detegi monumentum, quod vero ſimiliorem opinionem prorſus falſam eſſe revinceret. Litigabant exempli gratia Grammatici Graeci de vetuſtate accentuum ejus Linguae; plerique autem vero ſimilius cenſebant notas τῶν προσῳδιῶν priſcis Graecis ignotas fuiſſe; & ſuam in ſententiam pertrahere nitebantur, non dicam, quae in voce ὦ ſcribit Suidas; hujus enim incerta aetas: ſed quae idem affert voce φαρμακὸς ex Didymo Alexandrino, cognomine Chalcentero, & Auguſti temporibus Grammatico percelebri; quae-

an non maſculinam vocem a feminina diſtinguere debuit & *Daghèsh* litterae ſequentis, ob rejectam

---

que habet Philo *de Opificio Mundi pag. m.* 18. aliaque ſi noverunt hujuſcemodi. Aſt ecce in effoſſionibus Herculanenſibus repertum iſtud Euripidis in pariete depictum eodem parvo charactere rubri nigrique coloris, iiſdemque προσῳδίοις, quibus nunc utimur; eaque omnia ab hiſce parum diſtant.

sic

ὡς ἐν σο φὸν βȣ́λευμα Τας πολλὰς χεῖρας νικᾶ

Videſis *Le Pitture Antiche d' Ercolano T.* 2. *p.* 34. ubi ἔκτυπον habetur, & quae ad adnotarunt Doctiſſimi Academici Herculanenſes. Vnde ergo certi eſſe poſſumus, vetuſtum aliquod monumentum non ſupereſſe in lucem aliquando.edendum, unde noſci debeat longe eſſe vetuſtiores; quam plerique putarint Hebraica in lingua, ejuſve priſcis dialectis vocalium notas? Novimus utique vetera numiſmata Samaritanis litteris, aut Hebraicis antiquis, ſignata; novimus Punica Melitenſium monumenta, Hebraica dialecto conſcripta; novimus Phoenicias Palmirenorum inſcriptiones, & nullibi vocalium notas perſpeximus: at num propterea finita lis erit, ſi ex hiſce monumentis dijudicanda res eſt? aegre adhuc poſſunt repugnantes revinci. Ioannes Quintinus profecto in *Deſcriptione Melitae*, quae edita iterum fuit a Burmanno *Vol.* 15. *Theſaur. Antiqu.* ſcribit: *nonnullae etiam cum Punicis litteris inſcriptae ſtelae lapideae extant, quae figura, & appoſitis quibuſdam punctulis prope accedant ad Hebraeos*. Cl. quidem Agius in Diſſertatione, quam praemiſit *Hannoni Poeno pag.* 22. ſuſpicatur deceptum Quintinum, quod puncta Hebraeorum vocalia circa ſeculum V. Chriſti fuerint inventa: ſed immo ſuſpicabuntur alii rem hanc praepropere in ſuſpicionem adductam fuiſſe; non enim res praeconceptis opinionibus, ſed opiniones rebus accomodandae. Pocockius certe (*a Deſcription the Eaſt Tom.* 1. *London* 1743. *plate* XXXIII. *ad*

jod, & punctum *Camètz*? An non ſi littera ה *he* praefixa eſſe debuiſſet ſequenti voci מרים *mirjàm*

---

pag. 213.) exhibet Inſcriptiones quaſdam Cyprias Citienſium, quas non ad Coptos, ut ipſe innuit, ſed ad Phoenicios pertinere judicaverim tum ex forma characterum, quorum plures novimus, tum quia inquit Cicero *Fin. l.* 4. *c.* 20.: *Scis enim Citiaeos, clientulos tuos e Phoenicia profectos*; ubi ipſum loqui de Citiaeis Cypriis, contra atque dubitet Ortelius, apparet, ex quo ibi loquatur de Zenone, qui erat & Cyprius, & Κιτιεὺς. Iis porro in Inſcriptionibus obſervare fas eſt litteris appoſita eſſe diverſi generis puncta, quae etſi innuere quid poſſint, haud profecto ſcio; illud tamen mihi perſuaſerim ea puncta pertinere ad determinandam vim elementorum. Quamobrem in hujuſmodi rebus, quarum certa origo hominibus incomperta plane eſt, perſaepe obſervavi eaſdem antiquiſſimis temporibus inventas fuiſſe, perveniſſe autem ad nos conſuetudine magis, quam ſcriptorum multitudine: aut certe perrara eſse earum monumenta.

Rurſum certum eſt etiam vocabulùm quodpiam Hebraicum certis conſtans elementis plane diverſa, & aliquando contraria ſignificare his aut illis vocalibus pronuntiatum. Quare inquit Hieronymus *L.*8. *in Ezech.*27. *Frequenter hebraea nomina pro diverſitate accentuum, & mutatione litterarum, vocaliumque vel maxime, quae apud illos habent proprietates ſuas, varie interpretantur*. Certum pariter eſt Divina Eloquia fallendis hominibus minime fuiſſe compoſita; id enim putare nefas. Ex his ergo judicari poſſe mihi videtur, ſtatim atque alicujus Prophetae Liber evulgaretur, nonnullas apponi debuiſſe notas, quibus vocum notiones, ubi opus eſset, determinarentur; hoc enim in caſu nulla intelligi poteſt traditio, ex qua ad verum Prophetici Libri ſenſum pervenire poſſent Iudaei. Quod ſiquis illud diceret Sacros Scriptores conſuevisſe ſingillatim ſua ſcripta populo exponere, & ſignificationis rationem tradere; illud pro-

punctari ipſa ה *he* debuiſſet puncto *patàch* , & ſequenti litterae inſcribi *Daghèsh*?

fecto diceret , quod nec de omnibus oſtendi queat , nec de Iudaeis diſſitarum valde regionum verum eſse poſſit . Licet ergo ea ſit Hebraicae linguae indoles , ut conſtituta vocum pronuntiatione , & tradita hominibus ſignificatione , notis vocalibus carere valeat ; ſuapte tamen natura & origine aliquibus ſignis vocalibus Hebraici Codices orbati eſse non debuerunt . Atque hinc certe intelligitur , quam facile componi poſſit & antiquitas notarum vocalium Hebraica in lingua , & Hebraeorum conſuetudo deſcribendi Legem , ceteroſque Codices Sacros iiſdem notis omiſſis . Intelligetur hinc etiam , cur dixerit Hieronymus *L.* 5. *in Ierem.* 25. ad vocem *Babel*: *vocales autem litterae inter* ב *&* ב *&* ל *juxta idioma Linguae Hebraicae in hoc nomine non ponuntur* . Fortaſse demum intelligetur inde , cur dictum ſit ab eodem , Iudaeos *vocalibus in medio litteris perraro uſos fuiſſe* . Quod ſi addit Hieronymus pro voluntate lectorum , atque varietate regionum eadem verba diverſis *ſonis atque accentibus* prolata fuiſse ; hoc tamen qui Hebraicam norunt Linguam , fatebuntur dicta non eſse de illis *ſonis & accentibus* , qui ad vocis ſubſtantiam pertineant , ſed ad regionis cujuſque morem , propriamque pronunciandi rationem ; quemadmodum fere obſervamus , in qualibet ex noſtris urbibus , eamdem vernaculam linguam ita pronuntiatione diſtingui , ut ſi quis probe noſceret urbis cujuslibet proprium pronuntiandi morem & accentum , multitudinem hominum diverſorum locorum ex una loquendi ratione ſuis quoslibet regionibus aſſignare poſset . Quoad ſubſtantiam vero longe alio modo ſe res habuit : Iudaei enim , ut inquit Hieronymus idem *in Ep. ad Tit. c.* 3. *ſi forte erraverimus in accentu , in extenſione & brevitate ſyllabae vel brevia producentes , vel producta breviantes , ſolent irridere nos imperitiae , maxime in aſpirationibus , & quibuſdam cum raſura gulae litteris proferendis* : ex his enim omnibus haud raro diver-

II. Sed ſyntaxis hebraica plane convellit, quam Cl. Celottus inducere vellet ſuſpicionem. Hebraicae enim linguae indoles omnino poſtulaſſet, ut Matthaeus ſcriberet: *Iacob autem genuit Mariam conjugem Ioſephi, de qua natus eſt Ieſus &c.* (4) ſive,

---

ſas extare notiones ſciunt, qui artem norunt. Porro hiſce, quae juſtum volumen expoſcere potuiſsent, breviſſime adnotatis, intelliget Cl. Celottus, quanta vis apud quoſdam ineſse poſſit illi argumento ex Hebraicae linguae ταῖς προσῳδίαις ducto, quod in Epiſtola vix indicaveram. Apud quos enim haec momenta poſsunt, ii facile judicabunt Divum Matthaeum Codici ſuo vel *notas* adſcripſiſse, vel vim verborum ſuorum voce expoſuiſse. Quare cum Euangelium illud, ſtatim atque vulgatum eſt, Graece verſum fuerit; nullum enim novimus temporis intervallum, quo Chriſti Eccleſia Matthaei Euangelium habuerit, & Graecum non habuerit, ſuſpicari nunquam ii poterunt de vitio Graeci Interpretis Divi Matthaei. Idque multo magis ſi ipſis, cum pluribus aliis, perſuaſum fuerit, eum Interpretem nonniſi aliquem Apoſtolorum fuiſse; aut certe eam verſionem ab Apoſtolis fuiſse approbatam. Certe Ioannes Millius in Prologomenis N. T. *num. m.*108. contra Calvinum, & Dodwellum ex Helleniſmi ratione demonſtrat Divum Marcum Matthaei Euangelio, Graeco utique, uſum eſse; & *num.* 116. adnotat loca; in quibus idem obſervare licet de Luca quoad Matthaeum & Marcum; quod argumento erit Sanctos Euangeliſtas Marcum & Lucam Graeco Divi Matthaei Euangelio uſos eſse.

(4) Huic argumento quanta vis ineſſe queat, ne ſuſpicatus eſt quidem Cl. Celottus. Unde *Serm. pag. 68.* reſpondet. *Videlicet puta eodem modo potuiſſe ſcribi a D. Matthaeo, quod verteretur* „ Ioſephi conjugem Mariam" *ſicut ab eodem cognoſcis ſcriptum fuiſſe v.18.* „ Chriſti autem generatio ſic erat." At velit nolit Vir Cl. non eſt capax Hebraica Lingua ejuſmodi conſtructionis

quia relativum Hebraicae linguae pronomen genera non habet (5), ut clare diceretur Ieſum eſſe Ma-

---

verborum, &, quoniam eam linguam ſe plane ignorare pluribus commonſtrat rebus, ſiquem conſentientem repererit, qui dicere audeat, *eodem modo ſcribi potuiſſe a Divo Matthaeo*; ſciat profecto hujuſmodi hominem aut Hebraicae Linguae indolem nondum cognoſcere; aut ſibi blandiri. Tumque demum intelliget Vir Cl. clavum ſe clavo ejeciſſe dum ſubdidit exemplum: *Chriſti autem generatio ſic erat*. Videat Cl. Celottus Hebraicum Divi Matthaei Evangelium ſive a Munſtero, ſive a Tillio editum; & quamvis e Graeco ſeu Latino a pluribus cenſeatur expreſſum: noſcet tamen hanc verborum conſtructionem Hebraicae Linguae genio accomodatam: *& Ieſu Chriſti generatio ſic erat*. Idemque etiam obſervabit, ſi conſulat hebraicam verſionem Evangelii ab Io. Bapt. Iona confectam, ac Typis Collegii Propagandae Fidei editam anno 1668.

(5) Deeſt: *afficitque id, quod ἀμέσως praecedit*. Omitti haec verba non poſſunt; quia, cum conſtet ſcribi debuiſſe *Mariam Conjugem Ioſephi*, iis verbis maxima vis ineſt Hebraicae Syntaxei urgendae. Nam licet illud pronomen relativum genera non habeat; Hebraei tamen aliquando ἰσοδυνάμοις utuntur, ut hic apud Munſterum ac Tillium legimus שממנה *qua de illa*, quod non abhorret ab Hebraicae Linguae natura. At pronomen relativum Hebraica in Lingua afficere vocem penultimam aut antepenultimam, alienum prorſus ab ipſa eſt. Quamobrem duo peccat Cl. Celottus *Serm. pag.*68. dum mihi inquit: *Satis fuerit, ſi moneam in Libro Geneſis occurrere Syntaxim huic plane ſimilem, quam vir hic negat verti poſſe ex Hebraicis cap.*3. *v.*19. „ donec revertaris in terram, de qua ſumptus es. “ *Videat Hebraicum, & quale illud ſit conferat, quo etiam apud S. Matthaeum potuerit factitatum eſſe ſimiliter*. Quisquis enim conſulit eum textum Hebraicum, primo ibi legit: כי ממנה *quia de illa ſumptus es*; non מאשר *de qua*: deinde quamquam ſcriptum foret *de qua*, refer-

riae filium, non Ioſephi, repetere debuiſſet Matthaeus: *de Mirjàm autem natus eſt Ieſus &c.*; ſeu eadem ſemper dicendi ratione concludendo genealogiam: *Mirjàm autem genuit Ieſum*. Quod ſiquis valde repugnet aliquam ex hiſce dicendi rationibus admittere, is certe admittat neceſſe eſt, vocem אשה *ishàh* conſtrui debuiſſe, ut regeret vocem *Io*-

---

retur ad *Terram* ἀμέσως praemiſſam; apud Matthaeum autem ſcriptum fuiſſet: *Iacob autem genuit Mariam Conjugem Ioſephi, de qua &c.* Qui igitur Hebraicas non norunt Litteras, ex his quae veluti ſcripta attulit Vir Cl. intelligunt, quantum eidem fidendum ſit, in eo quod ipſo teſte ſcribi POTUIT. Nonnullum utique extat exemplum, in quo pronomen relativum אשר afficit nomen paullo remotius, & aliquod proferrem, niſi agendum mihi cum illo eſſet, qui licentiae hebraicae commemorationem quamlibet, veluti Canonem lubentiſſime complectitur. Sed rem ſemel adhuc experiar. Itaque Ruth c.4. v.15. legimus כִּי כַלָּתֵךְ אֲשֶׁר־אֲהֵבָתֶךְ יְלָדַתּוּ אֲשֶׁר־הִיא טוֹבָה לָךְ יצו' *quia nurus tua, quae diligit te, peperit eum, quae ipſa bona tibi &c.* Quamquam revera nulla ibi licentia: neque enim hic verborum conſtructio reapſe recedit abs regula relativi pronominis, de qua antea: nam אֲשֶׁר־הִיא hebraice periti noſcunt habere vim τῶ *quia ipſa*, licet aliter verterint Interpretes, cum nullus litem moviſſet: conſtat enim אשר ſaepe ſignificare *quia*. Quod ſi iſtud Vir Cl. non admiſerit, non enim ei favet, tunc dicam, quod verum eſt, pronomen אשר afficere *nurum*, quae iterum nominata ſubintelligitur; quemadmodum & *Pſ*.1. v.3. אשר afficit *lignum*, quod iterum poſitum ſubintelligitur. Itaque ſi ejuſmodi exempla amabit Vir Cl. iiſdem ſimili tantum utatur ratione, & nullus repugnabit. At ſi voluerit pronomen illud referre ad nomen remotum ejuſdem commatis, nihil ſane conficiet.

ſeph , & ſcribi אשת יוסף *èshet Ioſèph* (6) nimirum *conjugem Ioſephi*. Atque iſtud quidem, quod reſpui omnino non poteſt, niſi neglectis Hebraicae Linguae legibus, aliiſque ad libidinem conſtitutis, plane deſtruit Cl. Celotti hypotheſim. Dum enim propria linguae illius ſyntaxis animo noſtro obverſatur, intelligimus Hebraicum Matthaei textum, non rudem aliquem, aut indiligentem, ſed fraudulentum dumtaxat Graecum Interpretem ducere potuiſſe in hanc verſionem: *Iacob autem genuit Ioſephi conjugem Mariam, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*.

III. Illud etiam hic attingi poſſe arbitror, haud plane conſtare, num reapſe autographus Divi Mat-

(6) Cl. Celottus *Serm. pag. 63.* confugit ad *Enallagen nominis abſoluti pro conſtructo, apud Hebraeos frequentiſſimam*. Quis hanc neget? Verum ea de voce hic litem indixit, quam ejuſmodi Enallage affectam fuiſſe, nunquam obſervatum eſt. Si ergo in errore verſamur, nos ipſe doceat, ubi inſpicere debeamus nomen אשה *iſhàh* pro conſtructo poſitum; neque ſolum conjuncto cum Toàr, in quo ſita non eſt conſtructionis vis, ſed cum affixo pronomine, aut ſimilibus veram conſtructionem declarantibus: neque prius quam id perfecerit, dicat: POTUIT *hoc igitur in caſu fieri apud Evangeliſtam*: Lingua enim Hebraica quam hactenus novimus, dicit NON POTUIT. Quamobrem ſi Vir Cl. vere fidem ſuam obligavit, dum *ibidem* ſcripſit: *Cauſa praeſens eſt hujuſmodi, ut circa hoc caput ſive vincam illos, ſive vincar ab illis*; ſciat, nos vinci omnino non poſſe: vincetur ergo ipſe. In hoc porro victus cum fuerit, cauſa prorſus idem cadat, neceſſe eſt, ut demonſtrabo τῆς Ἀντιῤῥήσεως §. I.

thaei Codex Hebraica Lingua conſcriptus fuerit. Si enim aliis quam hebraicis litteris & verbis, dum Chriſti Evangelium deſcriberet, uſus fuiſſet Matthaeus, quemadmodum plures autumant, tunc profecto Cl. Celotti ſuſpicio ſuapte natura evaneſceret.

IV. Sed neque illud praetereundum puto, Hieronymum noviſſe utique, viſum eſſe S. Matthaeum Divo Lucae contrarium. Inquit enim: „ Iacob autem „ genuit Ioſeph ". *Hunc locum nobis objecit Iulianus Auguſtus de diſſonantia Euangeliſtarum: cur Euangeliſta Matthaeus Ioſeph dixerit filium Iacob, & Lucas eum filium appellarit Heli* [*L.* 1. *Comment. in Matth. c.* 1.]. Hieronymum praeterea S. Matthaei Euangelio hebraicis litteris conſcripto uſum eſſe comperimus (7). Dixerat enim: *De novo nunc lo-*

(7) Lepide ſane ad haec Celottus, *Serm. pag.* 66. *Reſpondebo; viſum a Hieronymo Hebraicum S. Matthaei Euangelium, comperies; uſum illo fuiſſe uſpiam Hieronymum, nuſquam comperies.* Vtinam poſito pignore hac de re certaſſet. Sed ſi hujuſmodi armis dimicandum ei eſſet, plurima ſane libere nimis non pronuntiaret, ne omnem copiarum jacturam faceret. Hoc certe in caſu, quamvis plurima Hieronymi loca, in quibus ipſe ad Matthaei Hebraicum provocat, perquirere noluiſſet; legiſſet ſaltem Epiſtolam hanc meam *num.V.* & notulam, quam ibi appoſueram; inde autem noviſſet Hieronymum *uſum fuiſſe* textu Hebraico Matthaei, ut demonſtráret legendum *cap.* 2. v. 5. *Bethlehem Iudae*, non *Iudaeae*. Neque enim, puto, dixerit ipſe cum Ioanne Millio in Prolegomenis N. T. *num. m.* 42. Hieronymum ibi provocare ad *Hebraicum Michaeae* non *Matthaei*: turpiſſimus eſt enim iſte

quor Teſtamento, quod Graecum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Euangelium Chriſti hebraicis litteris edidit. Hoc certe cum in noſtro ſermone diſcordat, & in diverſos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quaerendum eſt. [*Praefat. in Euangeliſt. ad Damaſum.*] Si igitur Hieronymus & rei difficultatem expertus eſt, & ipſe hebraicarum litterarum peritiſſimus fuit, novitque uno de fonte quaerendum, neque tamen

---

heterodoxi viri lapſus, cum Michaeas *Bethlehem Ephrata*, non *Iuda* ſcripſerit. Ita frequentiſſime labuntur impudentiſſimi iſti Cenſores SS. Patrum. Rurſum *L.* 1. *Comment. in Matth.* 6. inquit: *In Euangelio, quod appellatur ſecundum Hebraeos, pro ſuperſubſtantiali pane reperitur* מחר (machàr) *quod dicitur craſtinum .... ideſt futurum*. Et ſic porro alia, quae deſumpſit D. Hieronymus ex *Hebraico* Matthaei Euangelio, ſive *Nazaraeorum*, & *Ebioneorum*, ſive *ſecundum Hebraeos*; iis enim ex Veterum fide una ſubeſt notio; quamvis aliter Millio viſum fuerit *loc. cit.* ob conjecturas ſane leviſſimas. Et quamquam Codicem interpolatum nactus Beroeae fuerit Hieronymus; ob hujuſmodi enim interpolationes tot fere Hebraica fuerunt Matthaei Euangelia, quot Codices; perſpicue tamen & agnovit ipſe, & pro opportunitate declaravit, ubi genuinus eſſet Codex, ubi interpolatus, ubi dubius. Quamobrem non eſt, cur Io. Erneſtus Grabius *not. in Irenae. L.* 3. *c.* 11. glorietur ſe tandem deprehendiſſe *ſaltem Hieronymum in errore verſatum*; aut cur gratis & ego dicam cum Cl. Celotto *Serm. p.* 57. Divum Hieronymum & Matthaei authenticum vidiſſe Euangelium, & interpolatum. Provideo utique Virum Cl. poſtulaturum, ut haec ei oſtendantur; ſed ſatius erit, ut demonſtrationem ipſe ex fontibus hauriat; ex iis enim plura hauriri poſſunt, quam quae Calmetus *Praef.* in *Matth.* indicavit.

Digitized by Google

Cl. Celotti reſponſione uſus eſt; evidens iterum erit Hebraicum Divi Matthaei Textum hanc vim habere non potuiſſe, ut verteretur: *Iacob autem genuit Ioſephi conjugem Mariam*: nec revera difficultatem facere potuiſſe Graeco Interpreti S. Matthaei illud, quod Cl. Celottum in paralogiſmum induxit. Quis enim perſuadere ſibi queat Hieronymum hac in quaeſtione non prius Hebraicum Textum conſuluiſſe, quam animum aliis intenderet reſponſionibus, cum in levioris momenti rebus hoc ab eo factum eſſe conſtet ex iis, quae mox ſubjiciam? Sancte ergo retinendum eſt, quod in Eccleſia Catholica perpetuo legi conſuevit, nimirum: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*.

V. Porro ſublata jam baſi emendationis Cl. Celotti, cetera ipſius momenta facillime elevantur. Atque in primis ita ſibi ad emendationem viam parat Vir Cl. *Sicut in textum*, ait, *qui proxime explicatus eſt*, [Caten. L. 1. c. 4. ad Matth. c. 1. v. 12.] *irrepſit plane vitio interpretis error, ut Ioachin, & Ioacim confunderentur, communiter nuncupati uterque Iechonias; ſic neceſſe eſt affirmare, nunc quoque in praeſenti aliquid ſimiliter factum*. Sed hac re paucos admodum commoveri poſſe arbitror. Primo enim, quod *vitio Interpretis* ibi irrepſiſſe putat Cl. Celottus, id S Hieronymus [*L. 1. Comment. in Matth. c. 1.*], cujus verba paulo antea vel ipſe Cl. Au-

Digitized by Google

ctor attulerat, *ſcriptorum vitio, & longitudine temporum apud Graecos Latinoſque* factum eſſe ſcribit. Deinde quamvis Interpretis indiligentia id factum fuiſſe conſtaret; ex errore tamen adeo exiguo nulla juris connexione progredi poſſemus ad tam grandis rei emendationem. Immo, inquam, deducendum hinc mihi eſt, Interpretis Graeci vitio errorem nullum obrepſiſſe Matthaei 1. v. 16. Si enim Hieronymus confuſionem nominum Ioacim & Ioachin adnotavit, ſique etiam conſulto Hebraico Textu advertit paulo poſtea (*a*), librariorum lapſu obtruſam fuiſſe *Bethlehem Iudaeae* pro *Bethlehem Iudae*, nullum autem adnotavit mendum Matth. c. 1. v. 16. inferendum omnino eſt, revera Graecum S. Matthaei Interpretem nullum ibi in errorem incidiſſe. Quod maximam vim iis addit, quae antea dicebam.

VI. Pergit vero Cl. Celottus. *Quod ſcribitur* „ Liber generationis Ieſu Chriſti " *minus appoſite, veraciterque ſcriberetur, ſi ad Ioſeph, & non ad Ieſum generationis terminaretur deſcriptio. Propterea Evangeliſta v. 17. colligens numerum generationum, earum ſeriem in Chriſto, non in Ioſeph determinat.* Deinde ſubjicit: *Quomodocumque autem Ioſeph virum Mariae exiſtimemus Iacobi, qui eum praecedit,*

(*a*) Ibid. in Matth. cap. 1. „ Bethlehem Iudaeae ". *Librariorum hic error eſt. Putamus enim ab ipſo Euangeliſta primum editum, ſicut in ipſo Hebraico legimus Iudae, non Iudaeae.*

filium, certum eſt, aut hanc omnino non eſſe Domini Ieſu genealogiam ſecundum carnem, aut certe non ad illum referri per multos gradus ...... An putas Euangeliſtam ſcripſiſſe tibi potius aenigma ad divinandum, quam hiſtoriam ad intelligendum, cum tibi proponeret diſcendum Librum generationis Ieſu Chriſti? Vtrum ſi Ioſeph potius, quam Mariae texebat genealogiam, non debuit aliquo ſigno connotare, ubinam deſineret eſſe genealogia Chriſti, & continenter eſſet S. Ioſeph? Quidquid porro difficultatis hiſce contineri poteſt, ex iis, quae dudum ab aliis tradita ſunt, facillime dilui, noſti jam, VIR EXCELLENTISSIME. Ne tamen nihil dicere videar, obſervandum hebraicam vocem, quae a Latinis vertitur *generatio*, in Sacris Bibliis, & generationem ἁπλῶς, & res etiam ab aliquo geſtas deſignare, quemadmodum a Viris doctiſſimis oſtenſum eſt (8). Putarem

(8) Pluribus verbis conatus eſt Cl. Celottus *Serm. par.* 1. *c.* 7. ab Hebraica *generationis* voce repellere ab aliis admiſſam *hiſtoriae & narrationis rerum geſtarum* notionem: ac tandem *pag.* 33. inquit: *Interpretationem illam Hebraiſmo eſſe conſentaneam nego iterum, dum mihi oſtenditur.* Conſideret igitur Caput V. Geneſeos, & intelliget, quae ibi narrantur inſcribi ספר תולדת אדם *liber generationum Adam*; neque modo ibi recenſeri qui genuerint, & geniti ſint ab Adam ad Noe; ut apud Matthaeum *cap.* 1. ab Abraham ad Chriſtum; ſed etiam quandiu vixerint, & quid plures geſſerint. Similia Geneſeos *cap.* 10. & 11. Et *cap.* 37. verſ. 2. *generationes Iacob* ſunt, quae ei contigerunt propter Ioſeph, hujuſque deſcenſum in Aegyptum, quemadmodum jure ex-

autem ipſe hic hiſtoriam rerum a Chriſto geſtarum ſignificare, cum Matthaeus incipiat: *Liber generationis*: vox enim *Liber* integrum Euangelium indicat. Certe deſcripturus Matthaeus paullo infra quomodo Chriſtus ſit genitus, inquit *verſ.* 18. *Chriſti autem generatio ſic erat*. Deinde ſi velit Cl. Celottus τὸ *Liber generationis* de ſola genealogia dictum eſſe; obſervandum erit, non dici ab Euangeliſta dumtaxat; *Liber generationis Ieſu Chriſti*: ſed addi: *Filii David*, *Filii Abraham*. Scopus itaque Matthaei eſt demonſtrare Ieſum Chriſtum, & Davi-

---

ponit R. David in Libro Radicum: etenim, ut obſervat Pagninus in Radice ילד *nulla ibi ſit mentio de iis, qui ab illo deſcenderunt*, h. e. geniti ſunt. Ex hoc itaque decretorio exemplo noſcat Vir Cl. quam elumbe ſit ratiocinium, quod innuit *Serm. pag.* 30. nimirum apud Matthaeum GENVIT *ſignificat ſimpliciter generationem naturalem. Ergo*.... GENERATIO *ſimpliciter intelligenda eſt pro illa actione, qua pater... procreat ſibi filium*. Etenim cum Divus Matthaeus idiotiſmo utatur Hebraico, id erit apud ipſum *genuit*, quod Hebreis ילד, idque *generatio*, quod תולדה: ſed licet ילד Hebraice ſit proprie *genuit*; תולדה tamen eſt etiam *narratio rerum geſtarum*; ergo & apud Divum Matthaeum. Si hoc argumenti genus vim habere fateatur Cl. Celottus, bene eſt: ſin autem aliter, putet is profecto, quod lubet; aliis certe perſuaſum erit de antea expoſita *generationis* notione, tum ob ea quae hactenus attuli; tum ob Auctoritatem Divi Chryſoſtomi, qui eam amplexus eſt *Hom.* 2. *in Matth.* T. VII. *p. m.* 14. tum ob eruditionem Interpretum ſive Catholicorum, ſive etiam haereticorum, quamvis hi gloriae ſibi ducant, ſi a Catholicis diſſentiant, ubi evidentia non obſtat.

dis, & Abrahae filium (9). Egregie prorſus ad rem noſtram Hieronymus [*Ibid. in Matth. c.* 1.] „ Filii „ David, Filii Abraham “ . . . . *Ideo autem ceteris*

---

(9) Hujus rei vim aſſequutum non eſſe Cl. Celottum intelligitur ſtatim; & maximi tamen momenti ipſa eſt. Eam Divus quoque Irenaeus tradiderat: inquit enim in Fragmentis, editionis Maſſueti *pag.* 347. ſive in Catena a Poſſino edita in Matthaeum c. 1. τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον πρὸς Ἰουδαίους ἐγράφη· οὗτοι γὰρ ἐπεθύμουν πάνυ σφόδρα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ Χριστόν· ὁ δὲ Ματθαῖος καὶ ἔτι μᾶλλον σφοδροτέραν ἔχων τὴν τοιαύτην ἐπιθυμίαν, παντοίως ἔσπευδε πληροφορίαν παρέχειν αὐτοῖς, ὡς εἴη ἐκ σπέρματος Δαβὶδ ὁ Χριστός· διὸ καὶ ἀπὸ τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἤρξατο. *Euangelium ſecundum Matthaeum ad Iudaeos ſcriptum eſt. Hi enim majorem in modum cupiebant ex ſemine David Chriſtum oſtendi. Matthaeus vero, qui eadem, nec remiſſiori quam ipſi cupiditate teneretur, omni ratione contendit plenam ipſis fidem facere, quod Chriſtus ſit e ſemine David: propterea a Chriſti generatione initium duxit.* Et *Lib.* 3. *adv. haer. c.* 16. *al.* 18. *n.* 2. *p.* 204. ait: *Sed & Matthaeus unum & eumdem Ieſum Chriſtum cognoſcens, eam quae eſt ſecundum hominem generationem ejus ex Virgine exponens, ſicut promiſerat Deus David, ex fructu ventris ejus excitaturum ſe Aeternum Regem; multo prius Abrahae eamdem faciens promiſſionem, ait:* „ Liber generationis Ieſu Chriſti, Filii „ David, Filii Abraham. “ Ac poſtrema quidem haec verba diſſimulavit Cl. Celottus, detortis *Serm. pag.* 18. prioribus, quae nunc attuli, & quae poſtea conſequuntur. Porro cum Divus Irenaeus diſerte docuiſſet Divum Matthaeum ad Ioſeph genealogiam duxiſſe, quemadmodum ex Ἀντιῤῥήσει evidenter conſtabit; docuit etiam id ab Euangeliſta illo unice conſilio factum; ut inde agnoſceretur a Iudaeis Genus Chriſti Davidicum. Quamobrem verum eſt, quod ego paullo poſtea concludo: *quamvis poſt Davidem nullus eorum, qui a Matthaeo recenſentur, Ie-*

praetermiſſis horum filium nuncupavit, quia ad hos tantum facta eſt de Chriſto repromiſſio. Ad Abraham: „ in ſemine, *inquit*, tuo benedicentur omnes

---

ſum Chriſtum progenuerit: adhuc tamen generantium ſeries ab Euangeliſta deſcripta erit „ Liber generationis Ieſu Chriſti, „ Filii David, Filii Abraham. “ Neque enim verum eſſe poteſt, quod ait Cl. Celottus *Serm. pag.* 37. in ea hypotheſi *ſtatim poſt Davidem ſeries illa deſinit eſſe Liber generationis Ieſu Chriſti*. Cum enim Euangeliſta genealogiam deducat ad *Ioſeph Virum Mariae*: cumque omnibus tunc notum eſſet, aut futurum fuiſſet ſtatim, atque quis vellet, Mariam ejuſdem Davidicae familiae germen eſſe, ἀναντίῤῥητον propterea eſt, eam genealogiam pro Iudaeis eſſe *Librum generationis Ieſu Chriſti Filii David*. Forte non animadvertit Vir Cl. intereſſe quid debeat inter Iudaeos recens ad Chriſtum converſos in Palaeſtina, pro quibus Euangelium Ieſu Chriſti litteris conſignavit Matthaeus, quid, inquam, inter hos interſit, atque ſeros Chriſtianos: ac propterea dicit *Sermonis pag.* 35. *Nonne poterat Maria videri de tribu Levitica? Enim vero cognata erat Eliſabeth: haec autem de domo & filiabus Aaron. Sicut facile Mariae pater, vir certiſſime de tribu Iuda effecit, ut filia de ſe genita cum Eliſabeth filia Aaron cognatione teneretur: ita ex eo, quod Ioſeph eſſet de Tribu Iuda, neque ſuae aetatis aequales homines, noſque multo minus ſcire potuimus, vel dignoſcere debuimus, Mariam eſſe ejuſdem familiae ac Ioſeph*. Quorſum enim iſta? Nobis utique nimis ab originibus remotis pariunt haec difficultatem & perplexa experimur: at plerique e coaevis Iudaeis perſpicue norant, cur Maria eſſet cognata Eliſabeth, quamvis ejuſdem ac Ioſeph Davidicae familiae eſſet; qui vero hoc ignorarent, facillime id ſcire poterant, cum nos certo haec noſſe nequeamus, quippe qui nullum interrogare poſſumus, monumentis vero caremus.

Neque Vir Cl. *Serm. pag.* 37. liberius dixerit: *faciam patere rem lippis & tonſoribus . . . . . . clariſſimo exemplo:*

gentes " *quod eſt Chriſtus. Ad David* : „ De fructu „ ventris tui ponam ſuper ſedem tuam . " Quamvis ergo poſt Davidem nullus eorum , qui a Matthaeo recenſentur , Ieſum Chriſtum progenuerit; adhuc tamen generantium ſeries ab Euangeliſta deſcripta erit : *Liber generationis Ieſu Christi*, *Filii David*, *Filii Abraham*. Cum enim Apoſtolus ille Euangelium ſuum ediderit (*a*) *ob eorum vel maxi-*

Abraham genuit Iſaac , ſed primo Iſmaelem . De Abraham Chriſtus natus eſt , non tamen per Iſmaelem , ſed per Iſaacum . Deſcribitur in Libro Geneſis *cap.*25. *infra v.*12. *ſucceſſio Iſmaelis* . „ Hae ſunt generationes Iſmael , filii Abrahae : primogenitus „ Iſmaelis Nabajoth , &c. " *Si Euangeliſta ſcripſiſſet in hunc modum* : „ Liber generationis Ieſu Chriſti , Filii Abraham : Abra- „ ham genuit Iſmael : Iſmael autem genuit Nabajoth ." *videretur ne Euangeliſta ſuis promiſſis feciſſe ſatis* ? (lippi & tonſores haec intelligunt ? me nihil intelligere profiteor) . . . *ſi verum eſt illud Mingarellianum* . . . . *verum & illud fuerit* ; „ Quamvis poſt „ Abraham nullus eorum recenſeretur a Matthaeo , qui Ieſum „ Chriſtum progeneravit , utpote quia loco Iſaaci poſuiſſet Iſ- „ maelem , deinde Nabajoth , &c. adhuc tamen ſeries ab Euan- „ geliſta deſcripta erit Liber generationis Ieſu Chriſti Filii „ Abraham . " Vtique ſeries hujuſmodi foret *Liber generationis Ieſu Chriſti* , *Filii Abraham* ; dummodo Iudaeis plane conſtaret uxorem *Nabajoth* , de qua una natus eſſet Chriſtus , eſſe germen Abrahae , & Iſaac . Atque hoc ſi lippi & tonſores non intelligant , Dialectici profecto intelligent , qui norunt *comparationis* leges .

(*a*) Prooem. Comment. in Matth. ad Euſeb. Cremonen. Et L. de Scriptor. Eccleſ. ait : *Matthaeus* . . . . . *primus in Iudaea propter eos* , *qui ex circumciſione crediderant* , *Euangelium Chriſti hebraicis litteris verbiſque compoſuit* .

me cauſſam, qui in Ieſum Chriſtum crediderant ex Iudaeis; hi profecto vel ſciebant reapſe, vel ſcire facillime poterant, vel certe ex Lege dignoſcere debuerunt, Mariam eſſe familiae ejuſdem ac Joſeph: nec propterea Matthaeus ſeriem ſuam ad *Ioſeph, Virum Mariae* deducendo ſcripſit *Iudaeis* potius aenigma ad divinandum, quam hiſtoriam ad intelligendum, ſed revera ſcripſit *Librum generationis Ieſu Chriſti, Filii David, Filii Abraham*, a Iudaeorum nolens conſuetudine recedere, & feminae genealogiam deſcribere (10).

---

(10) Cl. Celottus *Serm. pag.* 36. inanem prorſus luſit operam, dum ex *Lib. Num. cap.* 27. *v.* 1. & ex *Iudith cap.* 8. *v.* 1. protulit genealogias feminarum, ſcilicet *filiarum Salphaad*, & ipſius *Iudith*; haec enim ad rem non faciunt. Matthaeus enim Chriſti genealogiam texere voluiſset directe, ſi genus ejus per Mariam Matrem deduxiſset; cum Chriſtus nonniſi ex Maria fuerit genitus, abſque Viri complexu; atque idcircò debuiſſet Euangeliſta Chriſti generationem per feminam deducere. At οὐκ ἦν νόμος παρὰ Ἰουδαίοις γενεαλογεῖσθαι γυναῖκας· *non erat mos apud Hebraeos genealogias feminarum texere*, Chyſoſt. Hom. 2. in Matth.; ſive: *non eſt conſuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur*. Hier. in Matth. 1. Igitur Divus Matthaeus, qui pro Iudaeis Euangelium ſcripſerat, eum morem ſervare voluit, ne ipſos ſtatim offenderet. Itaque non eſt, cur Vir Cl. *Serm. p.* 36. dicat: *hoc parcendum antiquioribus Scriptoribus, qui ſic putaverunt*; non enim SS. Patres indigent ipſius *venia*; nec *putaverunt*, ſed noverunt in Veteri Foedere nullius hominis genealogiam per *Matrem* deduci: quod ſi decepti ſunt, unum hujuſmodi proferat exemplum Vir Cl. Et iſtud quidem

VII. Nunc autem ſi Cl. Celottus poſtulat, ubinam deſinant Chriſti proavi recenſeri, & quinam ſolius Ioſeph ſint progenitores; Davidem poſtremum eſſe dicam eorum, qui Chriſtum progenuerunt ſecundum carnem, & hic recenſiti ſunt: reliqui vero a Salomone incipiendo propterea nominati ſunt, quod genuerunt *Ioſeph, Virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus:* ut ex Ioſeph cognoſceretur genus Ieſu Chriſti Davidicum, quod unum a Iudaeis in Chriſto cognoſci ſatis erat: Iudaei enim Davidem praecipue inter Chriſti progenitores contemplabantur. Quamobrem frequentiſſime in Euangelio ea occurrunt: *Hic eſt Chriſtus Filius David* [Matth. 22.]: *hoſanna Filio David*, [Ibid. 21.] *Ieſu Fili David* [Marc. 19. & Luc. 18.]: *quid vobis videtur de Chriſto, cujus Filius eſt? dicunt ei David*, [Ioan. 7.]. *Alii dicebant: Hic eſt Chri-*

---

deſiderari is cognoſcere debuit ex Cl. Trombellii verbis; quae *ibidem* attulit: *& Chriſti genealogiam per Mariam texeret.* Quidam utique, quos & ego in Epiſtola ſequutus fueram, hac in re ſcripſerunt: *non ſolere Iudaeos feminarum genealogiam texere*; ſed ii intelligendi ſunt, ut exigit Matthaei Caſus, niſi eorum obtrectatores magis, quam Theologi eſſe velimus. Neque vero mihi objicere poteſt Cl. Celottus Divum Lucam, quem *Epiſt. num.* x. oſtendo recenſere, qui Chriſtum progenuerunt: immo enim ob idipſum fortaſse, quamvis perſpicue innuerit ſe Chriſti genealogiam deſcripſiſse, ſiluit vel ipſe Mariae nomen, & a Ieſu tranſiit ad Heli ipſius avum, loco Mariae interpoſito *Ioſeph*, illius *Viro*.

ſtus: quidam autem dicebant: numquid a Galilaea venit Chriſtus? nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine David, & de Bethlehem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus? & his ſimilia bene multa. Immo Apoſtolus ipſe [*Rom.* 1.] dumtaxat ait: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.*

VIII. Neque vero putet Cl. Cellottus, quod Matthaeus *verſ.* 17. colligat numerum generationum, & Chriſtum etiam numeret, propterea dici oportere generationis ſeriem ad Chriſtum directe ab ipſo Euangeliſta ductam eſſe. Idcirco enim Chriſtum ibi numerat Euangeliſta, quia in teſſaradecades tripartiri voluit, quos antea nominaverat ſive generantes, ſive genitos; non autem quia in animo habuerit accuratam ſeriem progenitorum Chriſti determinare, & obſignare: hoc enim ſi facere voluiſſet, profecto Ioram inter & Oziam non praetermiſiſſet Ochoziam, Ioam, & Amaſiam, quemadmodum advertit Hieronymus [*L.* 1. *Comment. in Matth.* 1.]

IX. Hiſce difficultatibus breviſſime ſublatis venio ad aliam Cl. Celotti, rationem, quam ſane *graviſſimam* dicit. Nimirum Euangeliſta Matthaeus *docere instituit, quomodo ſupra ordinem naturae omnes Dominus cum eximio miraculo voluerit de matre Virgine naſci. Nam poſtquam verſ.* 16. *Librum generationis Ieſu Chriſti perduxit ad Mariam matrem, non ad ullum virum* [*lege* „ Iacob autem ge-

„ nuit Ioſephi conjugem Mariam “] *ſtatim v.18. rationem ſtili ſui ſubjungit, cur ſcilicet ad feminam potius, quam ad virum lineam Libri generationis Domini eatenus perduxerit; quae videlicet eſt, quia per miraculum ſupra omnem naturae ordinem, modum, poteſtatem* „ cum eſſet deſponſata Mater ejus „ Maria Ioſeph, antequam convenirent, inventa „ eſt in utero habens de Spiritu Sancto “. *Quid enim aliud eſt in hoc textu, niſi ratio, quae redditur illius aſſerti de eximio miraculo, cur in linea progenitorum Domini ultimo loco poſita ſit mater, quae geuuerit Ieſum ſine viro, quam pater, qui ſecundum carnem nullus Ieſu fuit?* Nae ego, plumbeus cum ſim, *graviſſimae* rei gravitatem non perſentiſco. Sed ſiquem haec moveant, ipſe iiſdem plane ſimilia inferre poterit, etiamſi legat cum Eccleſia Catholica; *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*. Si enim, quae Matthaeus addit, Viro Cl. videntur ratio, cur genealogia ad feminam deducta ſit, quae ſine viri conſuetudine Chriſtum genuerit; aliis potiori jure videbuntur ratio, cur ſeries illa deducta ſit ad Ioſeph, deinde additum: *Virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*.

X. Demum inquit Cl. Celottus. *Adde, quod S. Lucas verbis tam perſpicuis cap. 3. incipiendo a verſ. 13. deſcripſit generationem Ioſeph, ut nihil poſ-*

Digitized by Google

ſit deſiderari praeclarius. Cumque in S. Lucae deſcriptione a Ioſeph, uſque ad David gradus omnes pentius diverſi ab iis ſint, quos S. Matthaeus recenſet; neceſſe eſt videre etiam fines generationum penitus diverſos: quippe Matthaeus ad Ieſum, & Mariam ſeriem ducit ſuam, ille alter ad Ioſeph. Sed παῤῥησιαστικῶς dicta haec eſſe ſuſpicor. Immo enim doctiſſimi Viri jamdiu oſtendere aggreſſi ſunt, Divum Lucam Mariae Virginis genealogiam ibi deſcripſiſſe. Aequum profecto non eſt ab aliis dicta unius Epiſtolae limitibus concludere; quare ab iis repetendis abſtinendum. Liceat mihi tamen advertere, videri mihi Lucae Textum ita hanc in opinionem pronum, ut non intelligam, cur evidens putnda non ſit (11). Inquit Divus Lucas. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν,

---

(11) Vetuſtiſſimam certe hanc opinionem facile judicaverim, licet ſero invaluerit. Etenim Divus Irenaeus *Lib. 3. adv. Haer. cap. 22. n. 3.* e diſtinctione Maſsueti, *alias cap. 33.* inquit, juxta Latinam verſionem, quae ſupereſt: *propter hoc Lucas genealogiam, quae eſt a generatione Domini Noſtri uſque ad Adam ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit, finem conjungens initio.* Et prope finem capitis: *Propter hoc & Lucas initium generationis a Domino incohans in Adam retulit, ſignificans, quoniam non illi hunc, ſed hic illos in Euangelium vitae regeneravit.* Deſcripſit igitur Divus Lucas per Irenaeum genealogiam, quae eſt a generatione Domini uſque ad Adam, & finem conjunxit initio: & licet illi hunc genuerint carne; hic tamen illos in Euangelium vitae regeneravit. Sed & Divus Epiphanius idem

ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Μαθθὰτ... τοῦ Ναθὰν, τοῦ Δαβὶδ, τοῦ Ἰεσσαὶ... τοῦ Ἀβραάμ. κ.τ.λ. Hoc Textu praeſumpto quaeſtionem in haec duo dedu-

Iuculentiſſime innuit. Inquit enim *Haer.* 51. §. x. *pag.m.* 432. Ἀλλὰ τοῖς μὲν δοκεῖ ἐκ παρατριβῆς, καὶ σπέρματος ἀνδρὸς γεγενῆσθαι, τοῖς δ' ἄλλοις ἁπλῶς ἄνθρωπος πεφηνέναι· διὸ καὶ τὸ λεπτὸν τὰ πάντα διηγούμενοι οἱ ἅγιοι Εὐαγγελισταὶ ἀκριβολογοῦσι· καὶ φύσει ὁ Λουκᾶς, ὡς ἀπὸ κάτωθεν ἐπὶ τὰ ἄνω ἀναφέρων τὴν διάνοιαν φάσκει· ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος εἶναι ὡς ἐτῶν τριάκοντα, ὢν υἱὸς, ὡς ἐνομίζετο, τοῦ Ἰωσήφ· τὸ δὲ νομίζεσθαι οὐκ ἀληθῶς ἐστιν· ἀλλὰ ἐν τάξει μὲν Πατρὸς ἐτύγχανεν ὁ Ἰωσήφ, διὰ τὸ οὕτως τῷ Θεῷ δεδόχθαι ..... ἦν οὖν (p. 433. n. xi.) ὡς ἐτῶν λ', ὡς ἐνομίζετο υἱὸς τοῦ Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθάν· καὶ ἀναφέρει τὴν γέννησιν ἐπὶ τὸν Ἀβραάμ. ··· ὑπερβαίνει δὲ τὸν Νῶε, καὶ φθάνει ἐπὶ τὸν Ἀδάμ ..... ὑπερβὰς δὲ τὸν Ἀδὰμ, λέγει, τοῦ Θεοῦ. Ἐντεῦθεν λοιπὸν ἦν φανέρωσις, ὅτι τοῦ μὲν Θεοῦ ἦν Υἱός. διὰ δὲ τοῦ σπέρματος τοῦ Ἀδὰμ κατὰ διαδοχὴν ἐν σαρκὶ παρεγένετο ..... ἀνενέγκαντος γὰρ τοῦ Λουκᾶ τὰς γενεαλογίας ἀπὸ τῶν κάτω ἐπὶ τὰ ἄνω, καὶ φθάσαντος τὴν ἔμφασιν ποιήσασθαι τῆς ἄνωθεν τοῦ Θεοῦ Λόγου παρουσίας, κ.τ.λ. *Sed aliis videtur, e complexu & ſemine viri Chriſtum fuiſſe genitum: aliis ſimpliciter hominem apparuiſſe: quare minute omnia narrantes Sancti Euangeliſtae diligenter complexi ſunt; ac praeſertim Lucas, tamquam ab inferioribus in ſuperiora referens animum, dicit:* & erat Ieſus incipiens eſse, quaſi annorum triginta, exiſtens filius, ut putabatur, Ioſeph: *putari autem, non eſt revera eſſe; ſed Patris quidem vicem gerebat Ioſeph, quia ſic Deo placuit.* ..... Erat *igitur* quaſi annorum xxx. ut putabatur, Filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Matthan: *& ad Abraham uſque generationem refert ..... ſupergreditur autem Noe, & ad Adam pervenit ....., praetergreſſus vero Adam, dicit:* qui fuit Dei. *Ceterum inde conſtat, quia Dei quidem erat Filius, e ſemine vero Adam per ſucceſſionem in carne apparuit ..... Cum enim Lucas ab inferioribus ad ſuperiora genealogias perduxiſſet, &*

cam; an ſcilicet verbum ἐνομίζετο ſolum Ioſeph afficiat; an vero ceteros etiam a Luca poſtea nominatos. Si τὸ ἐνομίζετο de uno Ioſeph dictum eſt, dicendus erit Lucas Mariae Virginis genealogiam deſcripſiſſe, dum nominavit, qui Chriſtum ſecundum carnem genuerunt. At ſi τὸ ἐνομίζετο ad reliquos etiam pertinet, tum dicam cum Viro Cl. Lucam verbis admodum perſpicuis Ioſephi progenitotores recenſuiſſe (12). Sed dico ad alios, quam ad Ioſeph referri non poſſe τὸ ἐνομίζετο. An falſum hoc eſſe quis judicat? is igitur referat τὸ ἐνομίζετο etiam ad Heli, ad Matthat, ceteroſque. Ergo re-

---

cum praeſignificaſſet Divinum Verbum e celo eſſe &c. Clariora profecto haec ſunt, quam quae explanatione indigeant; niſi enim Lucas Chriſti genealogiam deſcripſerit, poſito Ioſeph pro Maria uxore & Matre Ieſu, nunquam profecto deducere inde potuit Divus Epiphanius, Chriſtum eſse Dei Filium: genealogia enim Ioſeph, qui putabatur Pater Ieſu, quique erat filius Adam, *qui fuit Dei* proprer creationem, evincere nunquam poteſt Chriſtum e celo eſse, ac Dei Filium.

(12) *Non novi vim Logices hujus tam novae & minime noſtratis*, ait ad haec Celottus *Serm. pag.* 50. Eam igitur nunc primum noſcet hinc. Si enim Heli, Matthat, Levi, Melchi, Ianne, & ceteri ſinguli *putabantur* avus, proavus, abavus, atavus, tritavus &c. Ieſu Chriſti, id *putabantur* ſane, quia progenuiſſent Ioſeph, cujus Filius *putabatur* Chriſtus: ſi ergo τὸ *putabatur* omnes illos terminos afficeret, ſeries illa eſset genealogia Ioſeph, quia τὸ νομίζεσθαι οὐκ ἀληθῶς ἐστιν, quemadmodum ex Epiphanio *Adnot. praeced.* adverti. En igitur, Vir Clariſſime, quid ſequatur ex Dialectica noſtrate & veteri, ſi non veſtrate.

ferendum etiam erit, & ad Davidem, & ad Ieſſe, & ad Abraham, omneſque reliquos. Chriſtus ergo *putabatur*, ſed reapſe non erat Filius David, nec flos virgae ex radice Ieſſe, neque ex ſemine Abrahae (13). Vnde enim ex Divo Luca intelligam τὸ

(13) Ad hocce vero argumentum noſcendum ſe non perveniſse, ingenue faſsus eſt Cl. Celottus, *Serm. pag.* 51. Poſtea enim quam omnem in partem ſeſe fruſtra verſavit, ut illud enervaret, inquit: *ſi non aſſequor perfecte hoc loco mentem ejus, par erat, uti illum diſtincta magis dilucidaque oratione*. Sed arbitror equidem Theologos agnituros, Virum Cl. argumentationem illam non ſolviſse, non quod revera *confuſa & obſcura* ibi fuerit oratio mea, ſed quia ἀναντίῤῥητος vere eſt illa ratiocinatio. Quamquam Vir Cl. *Serm. pag.* 50. ex me quaerit: *Vis ne Euangeliſtam dicere, Ieſum fuiſſe, ut putabatur Filius Heli, ut putabatur Filius Matthat &c.*? Papae! & dicis, Vir Clariſſime, te mentem meam aſsequutum non eſse? Vim aſsequutus videri non vis, cum ſolutione careas; at mentem optime noſti meam. Injuria vero ſtatim ſubjicis: *quae & quam multiplex abſurditas*! Cur enim tot, tantaſque *abſurditates* non ediſſeris? Immo abſurdum erit, niſi ſecreveris τὸ *ut putabatur*, cum ad Davidem, ad Ieſſe, ad Abraham perveneris: & ſi ibi abjicere neceſſario debes τὸ *ut putabatur*, omittas etiam illud oportet quoad reliquos omnes, praeter unum *Ioſeph, virum Mariae*; cum nulla ſit ratio ſufficiens, cur τὸ *putabatur* ad Davidem uſque retineas, ibique demum abjicias: Contra autem optime intelligitur, τὸ *putabatur unum Ioſeph* afficere, quia nempe ſeries illa eſt Chriſti genealogia ſecundum carnem; ibique Ioſeph poſitus eſt loco Mariae Matris Chriſti, ſcilicet Maritus pro Vxore, ut & antea dicebam. Quamobrem non erat, Vir Clariſſime, cur meum luderes (quam ſcite alii judicent) inquiens *pag.* 49. *expectabam hoc loco aſſeri ab illo rem veluti*

ἐνομίζετο dictum eſſe tantummodo de iis, qui a Ioſeph ad Nathan uſque, Filium Davidis nominantur, cum autem ad Davidem perventum eſt, cenſeri debere non dictum? Irridebunt ſane Iudaei Lucam, quod ſcripſerit Chriſtum *putatum eſſe* Filium David, & Abrahae, ſicuti & Heli, & Ioſeph.

XI. Eumdem fortaſſis ſenſum, & Vulgatus Interpres innuere voluit, dum vertit: *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur Filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat .... qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Ieſſe .... qui fuit Abrahae &c.* Phraſim enim *qui fuit*, ſi Vulgatus Interpres referri voluit ad Ieſum, de quo verba fiunt, non ad Ioſeph qui nominatur,

---

ſupra num. VI. PROFECTO, REAPSE, CERTE, REVERA, quippe quia iis particulis ego frequenter hac in Epiſtola uſus ſim. Satius ergo erat, ut manus victas dares, & agnoſceres Matthaeum & Lucam hac ratione tam exacte eſſe compoſitos, ut exactius nihil deſiderari queat; atque hoc factum eſſe, quin alterutrius Textus, non dicam emendetur, aut ei vis vel minima inferatur; ſed immo ex ipſa Sacrorum Verborum conſtructione, & natura; neque enim hic videas KIM, CHIN, POTVIT, INTERVENERIT, aut hujus generis quidpiam. Quod igitur antea non feceras, Clariſſime Vir, nunc abs te jure mihi videar expectare. Illud vero etiam noris, pervelim, *immortale illud* Adamantii *ingenium* (Hier. in c.3. Ep.Tit.) ſanctiſſime Canonem hunc ſtatuiſſe: *μὴ δεῖν τὰ σολοικοειδῆ, καὶ μὴ σώζοντα τὴν κατὰ τὸ ῥητὸν ἀκολουθίαν ῥητὰ τῆς Γραφῆς ἐπιχειρεῖν διορθοῦσαι*. Philocal. c.8. *nihil eſſe corrigendum ex iis, quae in Scriptura ſoloeciſmi ſpeciem habeant, neque ſibi ſecundum Litteram cohaerere videantur.*

profecto hunc plane innuit ſenſum : *Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta , ut putabatur Filius Ioſeph , qui revera fuit Heli &c.* (14) Neque ab hoc me abſterreret Cl. Celottus, dum Adnotatione 2. ad Caten. L. 1. cap. 5. dicit Heli fuiſſe patrem naturalem Ioſephi; nam ut facile dicitur, ita facile negatur .

XII. Ex his quiſque intelligere poteſt admitti ultro non debere titulum, quem Capiti 5. Caten. L. 1. praefixit Cl. Celottus; hujuſmodi enim eſt: *Liber generationis Ioſeph* . Siquidem verum non eſt, Lucam verbis tam perſpicuis deſcripſiſſe Ioſephi genealogiam, ut nihil poſſit deſiderari praeclarius. Deinde cognoſcet quilibet ejuſdem Capitis initium neſcio quid continere , ob quod a Textus Euangelici veritate pauxillulum diſtat. Illius enim capitis hoc facit initium Catenae Cl. Auctor : † *Ieſus putabatur Filius Ioſeph , qui fuit Heli &c.* Et quam-

(14) Nonne videtur Vulgatus Interpres noviſſe Divi Epiphanii locum , quem ſupra attuli , *Adnot.* 11: vel potius Epiphanius noviſse Vulgatam Verſionem ? aptioribus profecto verbis declarari non potuit , ibi Chriſtum innui Dei Filium; τὸ enim *qui fuit* ad finem uſque afficit IESUM , ac propterea phraſis *qui fuit Dei* , demonſtrat Ieſum eſse Filium Dei . Quamobrem agnoſcas Authenticam Bibliorum Verſionem in iis , quae ad ſubſtantiam pertinent , non ſine inſtinctu Divinitatis factam fuiſse : non enim permiſiſset Spiritus Sanctus , cujus afflatu Libri Hagiographi conſcripti ſunt , Verſionem hujuſmodi , niſi vim Divini ſervaſset Eloquii , in Eccleſia cum auctoritate invaleſcere .

quam praecedenti adnotatione advertit aſteriſco ⋆ ſe indicare, verſiculi extremum dimidium relinqui, obelo † autem incipi a dimidio verſiculo; praefixus hic tamen obelus ſignificare deberet Evangeliſtae verba pauliſper eſſe immutata.

XIII. Sed redeo ad poſtremam, quam attuli, Cl. Celotti difficultatem. Abs re autem futurum non puto, ſi advertam praeterea Euangeliſtam Matthaeum contentum fuiſſe genus Ieſu Chriſti Davidicum per Ioſeph declarare Iudaeis, qui hunc noverant cum Maria ſtirpis ejuſdem femina conjugium iniiſſe. Poſtea enim quam Ieſu Chriſti genealogiam per Ioſeph, Mariae Virum deduxit, ut oſtenſum eſt, tum iterum *v.* 20. afferre non praetermittit illa, Ioſephum alloquentis Angeli verba: *Ioſeph fili David*. Nec vero aliud quidquam in Matthaei Euangelio reperies, unde Genus Mariae Matris Ieſu Chriſti dignoſcere queas. Iure itaque ſcripſit Hieronymus Ieſum Chriſtum de deſponſata a Matthaeo dici conceptum, *ut per generationem Ioſeph origo Mariae monſtraretur*. [*L.* 1. *Comment. in Matth. c.* 1.] Contra vero ſi in Divi Lucae contextum animum intendimus, hic unus ejuſdem videtur ſcopus, ut intelligatur Ieſum Chriſtum ideo declarari factum e ſemine David, quia ex Maria ſecundum carnem genitus eſt. Etenim prius quam *c.* 3. Ieſu Chriſti genealogiam per Mariae progenitores ex Davide duceret Lucas, ita *cap.* 1. Gabrielem Angelum Mariam

alloquentem inducit *verſ.* 31. *Ecce concipies, & paries Filium... Et dabit illi Dominus Deus ſedem David Patri ejus.* Cur hic quaeſo *Patris*, niſi quia a Maria ipſa concipiendus, pariendusque? Cap. 2. autem licet diſerte aſſerat Lucas Ioſephum fuiſſe *de domo & familia David*; idem non tamen & de Maria innuere non praetermittit. Inquit: *Et ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem. Aſcendit autem & Ioſeph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo & familia David* (a) *ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore praegnante.* Si igitur ibant omnes deſcribi, unuſquiſque in propriam Civitatem, ſique tum Ioſeph, tum Maria profecti ſunt in Behtlehem deſcribi; hoc profecto clare ſatis oſtenditur, & Mariam Ieſum Chriſtum mox parituram fuiſſe de domo, & familia David.

Atque haec ſunt, VIR EXCELLENTISSIME, quae de re propoſita ad Te, quam breviſſime ſcribenda cenſui. Quae ſi ad Cl. Celotti manus aliquando devenerint, humaniterque is perlegere voluerit, ar-

(a) In Graeco Textu habetur: ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ. Cl. Celottus in Adnotationibus ad cap. 10. Caten. L. 1. ait: *Verterim* „ ex domo & patria David “. At vereor ne nova plane accidat Graecae Linguae peritis ea notio, ut πατριὰ ſignificet *patriam*, non *familiam*.

britor equidem Virum Cl. in eam tandem iturum ſententiam, ut ingenue fateatur nullum plane obrepſiſſe errorem Matth. I. verſ. 16. & ibi Ieſu Chriſti genealogiam deductam eſſe ex Davide per Salomonem ad *Ioſeph, Virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus:* & Matthaeum Euangeliſtam haec ſcribentem facile componi poſſe cum Divo Luca, qui Ieſu Chriſti genealogiam texuit per ejuſdem Mariae avos ex Davide per Nathan, alterum Davidis filium propagatos. Te vero, Ampliſſime CAROLI CATHOLICI REGIS Adminiſter, oro, obteſtorque, ut benigne excipias exiguum hoc grati animi mei monumentum: ex quo nollem ſane ullum umquam fore, qui meam Tuorum in me beneficiorum memoriam ex opellae hujus tenuitate aeſtimaret. Vale.

Dabam Romae in Divi Gregorii ad Clivum Scauri XI. Kal. Februarii CIↃIↃCCLXIII.

ΑΝΤΙΡΡΗΣΙΣ

ΑΝΤΙΡΡΗΣΙΣ

VIndicavi hactenus, & ſatis, ut arbitror, declaravi pondus & vim argumentorum, quae mea in Epiſtola propoſueram: nunc reliqua a Cl. Celotto in ſuo Sermone allata, quae meam afficiant, cauſſam refutanda. Haec autem praecipue peccavit Vir Cl. nimirum verbis admiſit Sancti Matthaei textum, re autem ſuſtulit: deinde etſi dixerit ab Eccleſia Matthaeum *Cap.* 1. *v.* 16. non intellectum fuiſſe; Sanctorum tamen Patrum verba violenter detorſit. De his igitur nunc breviſſime.

§. 1. Certum profecto eſt Catholicis Divinae Scripturae Interpretibus jus faſque ſemper fuiſſe, ubi res illud poſtulare videretur, explicandi, exponendique Divini Eloquii ſive ex contextu, ſive ex Eccleſiae & Patrum Doctrina, ſive ex aliis Chriſtianae Theologiae fontibus: At Sacrum Textum, quem Eccleſia ut germanum conſtanter agnoverit immutare ac deformare, nefas eſſe oportere, quiſque intelligit. Ab hocce Canone, qui ab optimo genere interpretandi Sacram Scripturam abeſſe nunquam poteſt, cum ſe admodum urgeri perſentiſceret Cl. Celottus pugnantia loqui ſatius duxit, quam falſam, quae menti ejus ſeſe exhibuerat, opinionem deſerere: verbis propterea Vulgatum Divi Matthaei textum admiſit, re autem ſuſtulit. Inquit enim *Serm. pag.* 8. *Ubi dico*: „ Vera enim lectio eſt hujus „ loci " *duo ſub ea dictione intelligi poſſunt. Unum eſt, utrum illud ſolummodo cenſeam, ita eſſe eum locum legen-*

dum, *quia intelligendum putem* , *eam revera ſolam ſententiam ab Euangeliſta ſcriptam fuiſſe* . . . . *Aliud eſt utrum intelligam lectionem veterem S. Matthaei*, *qualis & in Vulgato & in Graeco eſt juxta hanc vim* : „ Iacob autem ge„ nuit Ioſeph Virum Mariae “ *debere deleri de Sacroſancto Euangeliſta*, *& in mea verba mutari*. *Primum illud ſentio utique*; *ſecundum nunquam*. Et pag. 13. *Ego*, ait, *lectionem veterem*, *qua utitur Eccleſia in textu S. Matthaei Cap*. 1. *v*. 16. . . . . . *penitus cenſeo*, *& omnino profiteor*, *debere retineri*. *Verum* . . . . *ſi quaeratur de ſenſu*, *qui ſub illis latet verbis*, *& quaenam loci ejus ſententia capi*, *& intelligi debeat*; *reſpondeo* , *ſub illis verbis illam contineri ſententiam*, *quaſi ſcriptum legeremus*: „ Iacob autem ge„ nuit Ioſephi conjugem Mariam. “ Sed quid hiſce abſurdius ? Vel enim ſenſus Vulgati Textus Sancti Matthaei ut Divinitus afflatus agnoſci debet ; vel non. Si primum; iis igitur verbis nunquam alia ſubeſſe poteſt notio, quam quae ſit juxta verborum vim & naturam; eamque notionem Chriſtianus quilibet admittat neceſſe eſt. At ſi verborum Sancti Matthaei ſenſus, quem Spiritus Sanctus intendit, alius eſt ab obvio verborum ſenſu, oportebit Eccleſiam Matthaei verba in ea tranſmutare, quae exhibeant ſenſum a Spiritu Dei inſpiratum. Sed juxta Celottum *Evangeliſta hanc ſolam ſententiam ſcripſit*, &: *Vera lectio eſt hujus loci*: „ Iacob autem genuit Ioſephi conjugem Ma„ riam: “ haec igitur verba in Sancti Matthaei Euangelio vulgatis ſubſtitui omnino debent. Sed rurſum vulgata Matthaei verba per Celottum *deleri non debent de Sacroſancto Euangelio & in ejus verba mutari*; ergo neque ſenſus & ſententiae vis ratione ulla commutari poteſt. Animadvertat, obſecro, Vir Cl. quaenam ſit notio Bibliorum, quae

Divino Spiritu afflante conſcripta, nobiſque tradita fuiſſe certum eſt, & hoc uno ſtatim intelliget, quanta vis huic argumento inſit: nec fieri poſſe, ut ulla inveniatur ratiocinatio, quae eam infringat; niſi duo, quae vera ſunt, contradici poſſint: noſcetque reliqua omnia argumenta, quae in Epiſtola a me ſoluta jam fuerant, paralogiſmos judicari oportere, non ſolum *ob aeſtum diſputationis*, ut ait ipſe *Serm. pag.* 14. ſed etiam ex Theologiae principiis cum Dialectices regulis compoſitis. Profecto ſi Spiritus Sanctus ab Euangeliſta Matthaeo deſcribi voluiſſet Ieſu Chriſti genealogiam per Mariam Matrem directe deductam; & tamen permiſiſſet ſtatim (ſtatim enim graece converſum eſt Sancti Matthaei Euangelium, ut adverti *Adnot.* 3. *pag.* xv., atque ut luculentiſſime adhuc oſtendi poſſet) Graecum ejus Euangelii Interpretem, eam genealogiam in Ioſephi, Mariae Viri genealogiam transferre, quam providus cenſendus eſſet? quomodo autem poſtea Tridentinos Patres agere potuiſſet, ut *Seſs.* IV. anathema iis indicerent, qui *Sacros Libros integros cum omnibus ſuis partibus prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in Veteri Vulgata Latina editione habentur pro ſacris & canonicis non ſuſceperit*; ſi in Vulgata Bibliorum editione *Matth.cap.*I. pro Mariae genealogia *Interpretis vitio obrepſit* genealogia Ioſephi? Ego certe, ſi mihi in mentem veniſſet, ut vulgatam eam genealogiam repudiarem, aliamque ſubſtituerem, Tridentinorum Patrum ANATHEMA vehementer equidem pertimuiſſem; praeſertim cum ne unum quidem reperire ſit Codicem ſive Graecum, ſive Latinum; aut Sacrorum Bibliorum, aut Patrum, unde varia aliqua lectio hauriri queat, ac tamquam VETUS VERSIO proferri, atque ita ſaltem ſibi ab indicto anathemate praecaveri. Arbitratus fortaſſe eſt Vir Cl.

ſe ſibi ſatis caviſſe, dum innuit *Serm. pag.* 20. aliud nihil ſibi propoſitum fuiſſe, quam ut proponeret *Explicationem* aliquam verborum Sancti Matthaei: quid porro nos prohibet ſacra verba exponere & explicare? Inania profecto verba. Quomodo enim textus *explicatio* dici poteſt ea, quae ipſum Textum in alium neceſſario commutat? velit, nolit Vir Cl. hoc explicandi genus non niſi *Emendatio Sacri Textus* dici poteſt? At regerit tandem ipſe: *Ego lectionem veterem penitus cenſeo, & omnino profiteor debere retineri: Verum ſub illis verbis illam contineri ſententiam, quaſi ſcriptum legeremus*: „ Iacob autem genuit Ioſephi „ conjugem Mariam. " Proh Deus! Hoc unum utique deerat, ut poſteaquam tot heterodoxi viri vehementiſſime Sacra Verba detorſerunt, ut in ſuos errores pertraherent, inter Catholicos aliquis demum adeſſet, qui hanc Regulam inſinuaret, *retinendam eſſe lectionem veterem, ſed juxta ſenſum, qui alicui in mentem venerit, quamvis Textui oppoſitus dignoſcatur*. Hocce Canone quid unquam Fidei pernicioſus eſſe queat? Iure igitur hic mihi videar uſurpare verba Celeſtini Romani Pontificis (*Epiſt. ad Neſtor.*): *Eadem ſenti nobiſcum, ... ſi tibi ſenſus datur, damnatis omnibus quae huc uſque ſenſiſti*.

§. 2. Sed pergit Cl. Celottus, & in Sanctis Patribus deſperatae cauſſae ſubſidium nactus ſibi videtur. Primus, ad quem provocat, eſt Irenaeus, de quo ait *Serm. pag.* 18. *Ille l. 3. contra haereſes c.16. n.2. ita ſcribit*: „ Sed & Mat„ thaeus eam, quae eſt ſecundum hominem generationem „ ejus ex Virgine exponens ait: Liber generationis Ieſu „ Chriſti Filii David, Filii Abraham. " *Profitetur S. Martyr apertiſſime ſe in hoc capite, atque in hac genealogia invenire generationem Chriſti ex Virgine ſub ea linea, quae*

incipit : „ Liber generationis &c. “ *Attende .... S. Irenaeum excludentem Ioſephum a loco ſucceſſionis in ita deſcripta genealogia* ; *attende eumdem S. Doctorem concordantem pariter cum mea aſſertione* , *&* *ratione* : *ſubſequitur enim vero* : „ De hinc ut liberaret mentem noſtram a ſuſpicione , quae „ eſt circa Ioſeph , ait : Chriſti autem generatio ſic erat &c.

ſ. 3. Quam injuſte Divus Irenaeus teſtis adductus eſt ! Siquidem non alius eſt Irenaei ſcopus , quam is de quo egi *Adnot*. 9. *p*. XXV. Nugae autem ſunt illa *generatio Chriſti ex Virgine ſub ea linea*, *quae incipit* : „ Liber generatio„ nis &c. “ Miror vero Cl. Celottum attuliſſe etiam Irenaei verba , quae ſequuntur , nec advertiſſe quantum ſibi obſint . Cur enim ex Irenaeo Euangeliſta Matthaeus liberare voluit mentem noſtram a ſuſpicione , quae eſt circa Ioſeph , addendo : *Chriſti autem generatio ſic erat &c.* niſi quia linea ducta fuerat ad Ioſeph Mariae quidem Virum , ſed non Patrem Chriſti ? Sed , ne repetam , quae ex Irenaeo attuli *Adnot*. 11. *pag*. XXXII. inſpiciat jam Vir Cl. ſplendidiſſimum alium ejuſdem locum , tumque vero ad Irenaeum provocet , ſi audet : *Super haec autem* , inquit ibid. c. 21 .n. 9. p. 218. alias cap. 30. *nec Rex eſſe poſſet* (Chriſtus) *ſi quidem Ioſeph filius fuiſſet* ; *nec haeres ſecundum Ieremiam* . *Ioſeph enim Ioacim & Iechoniae filius oſtenditur* , *quemadmodum & Matthaeus generationem ejus exponit* . *Iechonias autem* , *&* *qui ab eo* , *omnes abdicati ſunt a Regno* , *Ieremia dicente ſic* .... „ Terra (*cap*. 22. *v*. 28.) audi ſermonem Do„ mini : ſcribe virum hunc abdicatum hominem , quoniam „ non augebit de ſemine ejus ſedens ſuper ſolium David , „ Princeps in Iuda . “ *Et iterum Deus ait ſuper Ioacim patrem ejus* : „ Propter [*cap*. 36. *v*. 30.] hoc ſic dicit Domi„ nus ſuper Ioacim patrem ejus , Regem Iudaeae : non

„ enim erit ex eo ſedens ſuper thronum David, &c. “ *Qui ergo eum dicunt ex Ioſeph generatum, & in eo habere ſpem, abdicatos ſe faciunt a Regno, ſub maledictione & increpatione decidentes, quae erga Iechoniam, & in ſemen ejus. Propter hoc enim dicta ſunt haec de Iechonia, ſpiritu praeſciente ea, quae a malis Doctoribus dicuntur, &c.* Quid porro hiſce verbis praeclarius, quid illuſtrius reperiri poteſt?

§. 4. Immo ἀναντίῤῥητος demonſtratio ex hoc Divi Irenaei teſtimonio mihi petenda videtur. Si enim Divi Matthaei genealogia per Ioacim, & Ioachin deducta eſt; ſique ex horum ſemine nullus futurus erat, qui ſederet ſuper ſolium David: Chriſtus profecto, qui eſt fructus ille ventris David, ponendus tandem ſuper ſedem ejus [*Pſ.*131.] & cui revera dedit Deus ſedem David Patris ejus [*Luc.*1.] eſſe nequit e ſemine Ioacim, & Ioachin; adeoque Matthaei genealogia progenitores Mariae Matris Chriſti exhibere non poteſt, a tranſmigratione ſaltem Babylonis: falſa igitur ſit, oportet, emendatio illa: *Iacob autem genuit Ioſephi conjugem Mariam.*

§. 5. Novi equidem, neſcio quos putantes Mariam, Conjugem Ioſephi, vel ipſam non ſecus atque Ioſeph e ſemine Iechoniae propagatam, quaeſtionem olim excitaſſe, *quo modo ſtare poſſit prophetia, de ſtirpe ejus nullum eſſe generatum, qui ſederit ſuper thronum David.* Illudque etiam novi, Divum Hieronymum *Lib.* IV. *Comment. in Ierem.* XXII. quaeſtioni ſatisfeciſſe his verbis: *poſſumus ergo hoc dicere, quoniam illud, quod deeſt in LXX. videlicet* „ in diebus ejus non proſperabitur, ſive non creſcet “ *ignorantibus fecerit quaeſtionem .... Reſpondeamus igitur, quod in diebus Iechoniae non ſucceſſerit ei vir, qui ſederit ſuper thronum ejus, ſed multo poſt tempore .... Poteſt autem & ſic*

Digitized by Google

ſolvi : *Non ſedebit quidem ſuper thronum David vir & homo*, *ſed ſedebit Deus*, *regnumque ejus non erit terrenum*, *& breve*, *ut fuit David*, *ſed perpetuum*, *atque celeſte*. Sanctus pariter Ambroſius *Lib.3. Comment. in Luc.3.* inquit, *quomodo ex ſemine Iechoniae nullus dicitur regnaturus per Prophetam* [Ieremiam]? *Si enim Chriſtus regnavit*, *ex ſemine autem Iechoniae Chriſtus eſt*, *Propheta mentitus eſt*, *mentita ſunt oracula*. *Sed illic futuros ex ſemine Iechoniae poſteros non negatur*, *& ideo de ſemine ejus eſt Chriſtus*; *& quod regnavit Chriſtus non contra prophetiam eſt*. *Non enim ſeculari honore regnavit*, *nec in Iechoniae ſedibus ſedit*; *ſed regnavit in ſede David*. *Verum cum ipſe Iechonias David ſederit ſedem*, *quemadmodum ſolvitur*, *quod dictum eſt*? *Itaque* ... *non eamdem Regis David ſedem Chriſtus*, *quam Iechonias ſedit immo nec quiſquam ex genere David ſedem ejus potuit ſedere*, *quam Chriſtus*: *quia nec in alio ſemen ejus aeternum eſt*; *ſed in Chriſto*. Et ex Graecis etiam, Theodoritus *in Ierem. 22. Tom.2. pag.* 210. vel ipſe inquit: Καὶ ὁ Κύριος δὲ τὸ κατὰ σάρκα γένος ἐκ τούτου [Ἰεχονίου] κατάγων, οὐ τοῖς Δαβιτικοῖς ἐπεκάθισε θώκοις· ἀλλ' ἐπάνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, κ. τ. λ. ἔχει τοίνυν τὸ ἀψευδὲς ἡ πρόῤῥησις. i. e. *Porro Dominus ab hoc* [Iechonia] *deducens genus ſecundum carnem*, *in ſedibus Davidicis non ſedit*, *ſed ſupra omnem principatum & poteſtatem &c. Non eſt igitur mendax praedictio*.

§.6. Sed quamquam his Patrum locis illud confici queat, tamdiu ad Fidem referendum hoc non eſſe, Chriſtum ſcilicet e ſemine Iechoniae originem habere non potuiſſe, quamdiu Eccleſiae acceſſerit definitio: adhuc tamen Divi Irenaei ratiocinationem reliquis longe praeferendam cenſeo; immo ἀναντίῤῥητον. Maximi utique facien-

da ſunt perilluſtria iſta Eccleſiae lumina Ambroſius, Hieronymus, Theodoritus; ſed ubi tamen & res ipſa, & aliorum etiam Patrum auctoritas omnino exigit, ut aliam ſequamur ſententiam; hoc ſane ut faciamus neceſſe eſt. Profecto oſtendi antea luculenter [*Epiſtolae Num.* x.] e Sacri Textus indeclinabili vi, Lucam Evangeliſtam Mariae genealogiam deſcripſiſſe : addidi etiam [*Adnot.*11.] eadem de re Irenaei, & Epiphanii luculentiſſima teſtimonia. Itaque cum Lucae genealogia non modo per Iechoniam deducta non ſit, ſed neque per ullum progenitorum ejus a Salomone initio facto; Iechonias profecto ad Ieſu Chriſti progenitores pertinere non poteſt. Deinde vero quonam alio in loco eam emphaſim reperies, qua uſum videmus Ieremiam c. 22.29. Divinitatis inſtinctu abdicantis a regno Iechoniam & ſemen ejus? *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Haec dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur; nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Iuda*. Non memini equidem apud ullum Prophetarum me hujuſmodi emphaſim unquam obſervaſſe. Quomodo igitur dici poterit Chriſtus, qui futurus erat decus ſeminis Abrahae & Davidis, poſtea progenitus ab homine ita abdicato? Denique, ne nimius ſim, pluſquam maximi, ut ita dicam, momenti eſt Divi Irenaei argumentum ad revincendos illos Ebionaeos (adde alios etiam Iudaizantes haereticos, veluti Cerinthianos), qui blaſphemabant Ieſum Chriſtum *ex Ioſeph generatum*. Nullum ſane aliud quam iſtud contra hujuſmodi haereticos e Veteri Foedere producere poteris ineluctabile argumentum, quo illos adigas, ut fateantur Ioſephum fuiſſe quidem *Virum Mariae*, ſed non Patrem Ie-

ſu. Graviſſimum eſt utique Iſaiae vaticinium *cap.* 7. At dolemus iſtud tot tantiſque ſubtilitatibus non ab haereticis ſolum, ſed a Catholicis etiam Doctoribus ſubjectum eſſe, ut omne pene ſuum pondus amittere videatur. Ne quaeſo igitur argumenti etiam a Divo Irenaeo producti jacturam faciamus: ſed cum ipſo agnoſcamus *propter hoc dicta* eſſe illa *de Iechonia, Spiritu praeſciente ea, quae a malis Doctoribus dicuntur: uti diſcant, quoniam ex ſemine ejus, ideſt ex Ioſeph non erit natus.*

§. 7. Sed & ex ipſis Hieronymi, Ambroſii, ac Theodoriti expoſitionibus, ſi examini ſubjiciantur, intelligemus eas alteri praeferri nullo modo poſſe. Ac Hieronymus quidem hiſce dicendi rationibus: *Poſſumus ergo hoc dicere: Poteſt autem & ſic ſolvi*, perſpicue ſatis demonſtrat, neutram reſponſionem ineluctabilem eſſe, ſed potius dubiam utramque. Profecto ſi ipſe advertiſſet, *ignorantium quaeſtionem* id ſupponere, quod falſum eſt (ac Theodoriti etiam expoſitionem idem ſuppoſuiſſe, quiſque videt), Chriſtum ſcilicet a Iechonia progenitum fuiſſe; nunquam ſane dixiſſet, quaeſtionis ſolutionem peti poſſe ex iis verbis: *in diebus ejus non proſperabitur, ſive non creſcet*; licet enim haec etiam verba dixerit Deus: adhuc tamen & illa addidit: *non erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper thronum David, princeps ultra in Iuda*. Iure itaque dixit Divus Baſilius *Ep.* 236. *alias* 391. *ad Amphilochium n.* 3. de hoc Ieremiae vaticinio: ἁπλοῦς καὶ σαφής ἐστιν ὁ λόγος . . . . καὶ οὐκ ἐξέλιπε μὲν ἡ βασιλικὴ φυλὴ μέχρι τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας· οὐ μὴν ἔτι ἐκάθισεν. ἐπὶ τοῦ θρόνου Δαβὶδ σπέρμα τοῦ Ἰεχονίου . . . . οὐδεὶς γὰρ φαίνεται τῆς ἀξίας ταύτης ἐπειλημμένος ἐξ αὐτοῦ· οὐ μέν τοι ἐξέλιπεν ἡ τοῦ Ἰούδα φυλὴ, ἕως οὗ ἦλθεν ᾧ ἀπόκειται. i. e. *ſimplex & clara eſt oratio . . . . Ac tribus quidem regia uſque ad Chriſti*

adventum minime defecit ; nec tamen amplius ſedit in ſolio Davidis ſemen Iechoniae .... Nemo enim ex ipſo ortus hanc gloriam conſequutus comperitur . Non tamen defecit tribus Iuda , donec venit , cui repoſitum eſt . Sed iniqui fuerimus Sanctorum Patrum judices, ac cenſores, ſi a ſingulis exigamus pervideri omnia & componi debuiſſe. Ipſe certe Hieronymus noſcens, ut arbitror, priorem reſponſionem paullo infirmiorem eſſe, alteram ſubjunxit, quae licet ne ipſa quidem quaeſtioni ſatisfacere poſſit ; validior tamen eſt. Etenim, ſi conſtaret Ieſum Chriſtum Iechoniae filium eſſe, tunc utique ea Divi Hieronymi reſponſio vim ſuam obtinere poſſet. At cum comminatus ita fuerit Deus non futurum de ſemine Iechoniae, qui ſederet ſuper thronum David, princeps ultra in Iuda, quomodo nobis perſuadebimus, eidem tamen reſervatam fuiſſe optatiſſimam, Divinique decoris plenam Meſſiae generationem ? Immo nonne & ipſe Hieronymus verbum יִצְלַח *itzlàhh* priori in loco vertit, *proſperabitur*, dum reddidit : *in diebus ſuis non proſperabitur* ? Idem igitur verbum יִצְלַח quod in ſubſequentibus vertit, *non erit*, addens : *non enim erit de ſemine ejus vir &c.* eamdem vim habere debet τῷ *non proſperabitur* : Non debuit igitur proſperari de ſemine Iechoniae vir, qui ſederet ſuper ſolium David. At quae major proſperitas Davidici ſeminis & ſolii, quam generatio, & regnum aeternum Meſſiae, Dei & hominis ? ab hac ergo proſperitate abdicatus plane fuit Iechonias & ſemen ejus. Immo itaque voluit Spiritus Sanctus ab Euangeliſta Matthaeo deſcribi Ioſephi genealogiam, ut omnes Iudaei ſcirent, Ieſum Chriſtum ejuſdem filium eſſe non potuiſſe, adeoque a Maria dumtaxat fuiſſe genitum. Haec cum ita

ſint, quiſnam locus reliquus erit emendationi: *Iacob autem genuit Ioſephi conjugem Mariam*, in extremo ejus genealogiae, quae per Iechoniam deducta eſt?

§. 8. Sanctus vero Ambroſius eam tradidit expoſitionem, quia ſuppoſuit *Salathielem*, qui in Lucae genealogia occurrit, eumdem eſſe atque *Salathielem* a Matthaeo productum. Explicans enim Ambroſius ea Lucae verba: *qui fuit Salathiel, qui fuit Neri*, inquit: *Salathiel Iechoniae filium Matthaeus ſcribit, Lucas tacet. De Iechonia ſatis idoneus auctor eſt Hieremias &c.* In ea igitur hypotheſi coactus eſt ipſe, aliqua ratione componere Matthaeum & Lucam cum Ieremia. Sed, ut nuper dicebam, Divina execratio, cui Iechonias ob ſua ſcelera ſubjectus fuit per Ieremiam, non ſolum excludit ſemen ejus à terreno Iechoniae regno, ſed multo magis ab aeterno illo Regno, quod repoſitum erat Meſſiae, ſolium David aſcenſuro. Itaque *Zorobabel*, & *Salathiel* Chriſti progenitores apud Lucam iidem eſſe non poſſunt, ac *Salathiel*, & *Zorobabel* Ioſephi progenitores apud Matthaeum; cum iſti ex Iechonia ſint. Quamobrem vel hoc uno evidenter apparet inanem prorſus luſiſſe operam eos, qui putarunt Euangeliſtarum genealogias e Davide per Salomonem & Nathan deductas, coaluiſſe tandem in *Salathiele* & *Zorobabele*.

§. 9. Iam vero, quoniam ut ſatis multa dicerem, Irenaeus nimium intempeſtive allatus me impulit; propterea de reliquis Patribus, a quibus Cl. Celottus fruſtra ſubſidium imploravit, vix aliqua dicam, ne videar formidans illos praetermittere, ſi ne unum quidem verbum de iis faciam. Cur quaeſo *Sermonis p.*20. Divus affertur Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum *Lib.*2.*c.*1. inquiens: *Matthaeus Euangeliſta oſtendit generationem Chriſti ſecundum carnem ſe*

Digitized by Google

ſuſcepiſſe narrandam? nonne poſt ſeptem lineas ſubdit: *Exequitur ergo humanam generationem Chriſti Matthaeus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad* „ Io-„ ſeph Virum Mariae de qua natus eſt Ieſus? “

§. 10. At Clemens Alexandrinus *Strom. Lib.* 1. *n.* XXI. *p.* 409. *edit. Potteri*, ait utique: *in Euangelio ſecundum Matthaeum quae ab Abraham deducitur genealogia uſque ad Mariam, Matrem Domini terminatur*. Sed quid inde? Ergo ne his verbis continetur ASSERTIO Cl. Celotti? quis ita deſipiat? Diſſeruit antea Clemens de ratione admodum multiplici, qua tempora ſupputata a plurimis fuerunt, ac demum huic tractationi addit rationem, qua Matthaeus tempora veluti ſupputavit, aſſignando generationes XIV. his temporum intervallis, ſcilicet ab Abraham ad David; a Davide ad tranſmigrationem; a tranſmigratione ad Chriſtum. Dum itaque dicit Matthaei genealogiam ab Abraham deduci, & in Mariam terminari, non aliud ſane vult Divus Clemens, quam ejus ſupputationis extremos terminos indicare, Abraham nempe & Mariam, quae genuit Chriſtum, ſeu ipſum Chriſtum: unde ſubdit: *Sunt enim, inquit, ab Abraham uſque ad David generationes* XIV., *& a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis generationes* XIV., *& a tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum ſimiliter aliae generationes* XIV. *Et quae de temporibus quidem varie a multis ſcripta, & a nobis expoſita fuerunt, ſic habeant*. Putidior ergo fuerim, oportet, ſi mihi perſuaſum eſſe videri velim, obmuteſcentibus prorſus reliquis omnibus Veterum, Clementem Alexandrinum iis verbis aut innuere, aut ſupponere voluiſſe, Matthaei genealogiam ad Mariam Matrem Domini directe eſſe deductam.

§. 11. Quae vero *Sermonis p.* 21. ex Tertulliano initio

proferuntur prorſus ad rem non faciunt. At miror provocari deinde ad Tertulliani Librum de Carne Chriſti. Si enim ibi *cap.* 22. legitur: *Ipſe in primis Matthaeus fideliſſimus Evangeliſta commentator, ut comes Domini, non aliam ob cauſam, quam ut nos originis carnalis compotes faceret, ita exorſus eſt*: „ Liber geniturae Ieſu Chriſti filii David, „ filii Abraham. “ *His originis fontibus genere manante, cum gradatim ordo deducitur ad Chriſti nativitatem, quid aliud, quam caro ipſa Abrahae & David per ſingulos traducem ſui faciens in Virginem uſque deſcribitur inferens Chriſtum? &c.* Si haec, inquam, ibi leguntur, & Viro Cl. non conſideranti vim τȣ̃ INFERENS, propterea videtur Tertullianus: *omnino exemplari uſus Matthaei, quod per ſingulos gradus traducem faciens in Virginem, ſcriptum contineret quis, & quo nomine genuit Virginem poſt ſe ſubinferens Chriſtum*: quid vero ei videbitur, cum a *Capite* 22. regredietur ad *Caput* 20. & leget: *Sed bene, quod idem dicit Matthaeus originem Domini decurrens ab Abraham uſque ad Mariam*. „ Iacob, *inquit*, generavit Ioſeph virum Mariae, „ ex qua naſcitur Chriſtus? “

§. 12. Auctor porro Operis Imperfecti in Matthaeum, editus inter Opera Chryſoſtomi *Tom. m.* VII. *pag.* 771. non inquit dumtaxat, quod ex Homilia I. attulit Cl. Celottus *Serm. pag.* 22. ſcilicet: *ne aliquis audientium exiſtimaret, ſic eſſe Chriſti nativitatem, quomodo praecedentium Patrum &c.* Sed immo ita incipit: „ Iacob autem genuit Ioſeph, cui „ deſponſata Maria genuit Ieſum. “ *Ne quis audientium &c.* Lubenter equidem noſcerem, cur haec verba Cl. Celottus praetermiſerit.

§. 13. Confugitur demum ad Divum Gregorium Magnum, qui *Lib.* 33. *in Iob. c.* 12. inquit: *Dicitur* „ Abraham

„ genuit Iſaac; Iſaac autem genuit Iacob. “ *Ceteri ſucceſſores interpoſito Ioſeph nomine uſque ad Mariam deſponſatam deſcribuntur: quaſi quaedam linea torquetur, in cujus extremo Incarnatus Dominus ligatur*. Sed quaero a Viro Cl. deſcripſit ne Matthaeus Chriſti genealogiam directe, an oblique? ſi directe; quomodo igitur in extremo TORQVETVR linea, ut Chriſtus ligetur? Reſtat igitur, ut obliquam agnoſcamus Matthaei genealogiam, ductam ſcilicet ad *Ioſeph Virum Mariae, de qua natus eſt Chriſtus*. Atque haec attigiſſe ſufficiat, quoad eos Patres, quorum teſtimonia Cl. Celottus detorquenda putavit. Ceterum etſi nihil dixiſſem, omnis cavillandi occaſio jamdiu a me ſublata fuiſſet, *Epiſtolae Num.* VI. ubi demonſtravi, Divum Matthaeum deſcripſiſſe Chriſti genealogiam, quamvis nullus eorum, qui poſt Davidem recenſentur, Ieſum Chriſtum progenuerit: ex quo illud omnino ſequitur, quoslibet Patres, aut Interpretes, qui ajunt, aut innuunt a Matthaeo deſcriptam eſſe Chriſti genealogiam, juxta mentem Divi Matthaei loquutos eſſe, nec unquam ſuppoſuiſſe LECTIONEM aut VIM τȣ̃ *Ioſephi Conjugem Mariam*; quod idcirco advertendum duxi, ne Vir Cl. fruſtra adhuc defatigetur, aliaque hujuſmodi e Patrum aut Interpretum ſcriptis irrito ſane labore expiſcare in animum inducat.

§. 14. Ob haec porro luculentiſſima Patrum loca, quae allaturus erat Cl. Celottus, ita exorſus eſt *Sermonis caput* V. *pag.* 20. *In prima Apologia, quam edidi apud Marſinium novam S. Matthaei meam explicationem defenſurus, ita n.* 12. *argumentabar*. „ Quantunque la Chieſa ſotto il preciſo „ teſto di S. Matteo abbia per riverenza a quello, che „ trovava ſcritto, e non intendeva, cercate varie maniere „ di ſuperare la difficoltà, che ſe le parava davanti, non

„ dimeno aſtraendo dal preciſo teſto ha ſempre inſegna-
„ ta la mia dottrina. " Arbitror equidem Virum Cl., ne ſubſpicatum quidem fuiſſe unquam, quaenam vis hiſce verbis ineſſe poſſet; ac propterea eadem ſemel, iterumque vulgaſſe. At animadvertat nunc quaeſo, quam perniciosa iiſdem ex verbis inferri poſſint. Scilicet Eccleſia non intellexit Matthaeum *cap.* 1. *v.* 16. Vnus autem privatus Doctor, quid ibi ſignificaretur, probe novit: non eſt igitur Eccleſia Sacri Interpres Eloquii, ſed quilibet; quemadmodum novi inquiunt haeretici. Sed fortaſſe *Eccleſiae* nomine Vir Cl. innuere voluit *Eruditos Chriſtianos* cujuſcumque temporis. Verum quis illa dicere audeat de tot tantiſque Patribus, ac Doctoribus, ſeque ipſum iis praeferre? Deinde prorſus deſipuere & Sancti Patres & Doctores, ac pugnantia loquuti ſunt, ſi textum non intelligentes & ab eo abſtrahentes, recte tamen illum expoſuerunt, licet abierint in ſententiam Textui oppoſitam. Amico equidem, ſi forte haec illi excidiſſent, iſtud praeberem conſilium: Oret multum; legat caute; ſcribat nihil.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. Jiordani Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

IMPRIMATVR.


Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praedic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google
005657643

Digitized by Google



Digitized by Google